DE MIRACULIS

ADVERSUS

BENEDICTUM SPINOZAM

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUÆ PROLUSIONIS LOCO EST

PUBLICE HABITA

A CAJETANO LUCCHESIO

DE CC. RR. SCHOLARUM PIARUM

Facta omnibus argumentandi potestate

AUCTORE

LIBERATO FASSONIO

EX EADEM FAMILIA

IN NOVO COLLEGIO

PUBLICO SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE

EDITIO ALTERA AUCTIOR.

ROMÆ MDCCLV.

Ex Typographia Joannis Zempel prope Montem Jordanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

ALOYSIO . ANTONIO . VERNEIO

EQUITI . TORQUATO . ARCHIDIACONO . EBORENSI

VIRO . MAGNO

GRÆCIS . ET . LATINIS . LITTERIS . DOCTISSIMO

ORATORI . ELOQUENTISSIMO

GEOMETRÆ . PHILOSOPHO . THEOLOGO . SUBTILISSIMO

LIBRIS . EXQUISITÆ . ERUDITIONIS . PLENISSIMIS

PUBLICO . BONO . EDITIS

IN . REPUBLICA . LITTERARIA . CELEBRATISSIMO

JOANNI . V . ET . JOSEPHO . I

LUSITANORUM . REGIBUS

OB . DOCTRINAM . FIDEM . INTEGRITATEM

CARO

LIBERATUS . FASSONIUS

EXERCITATIONEM . HANC . SUAM

DE . MIRACULIS

OB . EJUS . IN . OPTIMAS . ARTES . MERITA

VETEREMQUE . ERGA . SE

BENEVOLENTIAM . AC . STUDIUM

HONORIS . AC . OBSERVANTIÆ . CAUSSA

ITERUM D. D. D.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Patriarch. Constantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Mag. Socius Reverendissimi P. Magistri Sacri Palatii Apostolici Ord. Prædicatorum.

DE

DE MIRACULIS

ADVERSUS BENEDICTUM SPINOZAM.

1. AMpliſſimum de Miraculis locum, quem optimus quiſque Theologus paratum, atque expeditum habeat, neceſſe ſit, verſandum, tuendum, expoliendum aggredimur, Benedictum in primis Spinozam, deſertorem illum religionis, & transfugam confutaturi, qui miracula omnia audacter de medio ſuſtulit, atque labefactavit. Novimus ſane, & Joannem Tolandum, ut de Pomponatio, ac de reliquis taceam, eodem, quo Spinoza, dementiæ proceſſiſſe; hunc tamen præ cæteris & nominamus, & petimus, quod familiam hoc in genere duxerit, erroribus ſuis in ſyſtema, male illud licet materiatum, & ruinoſum, redactis. De miraculorum natura, & origine, generibus, uſibus, finibus dilucide, quoad inſtituti noſtri brevitas patitur, diſſeremus, conficiemus, miracula divini Numinis vi. edi poſſe, abſolutamque repugnantiam non præferre, quæ in ſacroſanctis utriuſque Legis codicibus commemorantur prodigia, exigemus ad trutinam, hæc poſtremo genuina, ac vera eſſe miracula a ſolo profecta Deo, nec ulli phyſicæ adſcribenda cauſſæ oſtendemus. Opus hercle ſuſcipimus, quod exquiſitam quandam multarum, maximarumque rerum cognitionem poſtulat, atque ſcientiam, graviſſimiſque adeo difficultatibus obſtructum eſt. Statutum tamen in animo, ac deliberatum habemus pro

viribus religioni litare, cum præsertim nec metuendum sit, ne actum agere videamur, & nemo unus, quod sciam, effrænem super miraculis Spinozæ insolentiam, atque projectam audaciam saltem ex omni parte represserit [1]. Nam quod aliquis vereri posset, ne res plena periculi futura sit tot Spinozæ deliria in apertam lucem, adspectumque producere, id cavit optime Augustinus, qui cum Cresconio Grammatico collato pede decertans, *si ita est*, ait, *nec pro patria miles armandus esset, quia contra patriam nonnulli arma sumpserunt, neque boni, doctique Medici ferramentis medicinalibus uti deberent, quia his ad perniciem indocti, pessimique abutuntur* (*a*).

2. Miracula igitur funditus, deditaque opera evertenda suscepit Spinoza in Tract. Theolog. Polit. cap. 6. & quæ divinarum litterarum monumentis proditum est, contigisse, in naturales, & occultas causas refundit, idque nonnullis subinde regulis, & exemplis patefacit. Non sola proinde auctoritate, sed tum rationibus, tum penitioris philosophiæ præsidio, si quidem aliquid proficere cupias, convincendus. Philosophia enim, & Metaphysica in primis homo impius ad fallendos imperitos abutitur. Tota autem Spinoziani systematis moles duobus præsertim nixa est fundamentis: primum perne-

(*a*) Lib. I. cap. I.

1 De miraculorum natura, scio, tum permultos alios, tum nuperrime Jacobum Sercem scripsisse, divinamque eorum originem demonstrasse. At neque id, quod cogitamus, & informatum habemus in animo, sibi Serces proposuit, tum Auctor natione Anglus plurima bonæ alioquin caussæ temere admiscuit, quibus Romanæ Ecclesiæ conflaret invidiam. Ex nostris Augustinus Calmetius, vir sane doctissimus, nonnullorum unice contra Spinozam miraculorum patrocinium suscepit, sed illum neque ex instituto refellit, neque omnia occupat, quæ ex humanis disciplinis a Spinoza, vel ejus gregalibus afferri possent. Fenelonus porro Cameracensis Antistes in aureo de Dei existentia opere de miraculis ne verbum quidem; tantum impiam de Deo, ac Mundo Spinozæ doctrinam, tacito nomine, oppugnavit. Hallucinatus est igitur Ephemeridis Venetæ conditor, qui Dissertationis nostræ mentionem iniiciens (an. 1753. pag. 379.), in tabulas retulit ridiculos de miraculis Spinozæ errores a gravissimis viris, nominatimque a Cameracensi Antistite jamdudum confutatos fuisse. De aliis enim Auctoribus nihil nos temere enunciasse comperta res est, nisi fortasse in ea quis opinione versetur, perinde esse de miraculis scribere, ac de miraculis adversus Spinozam. Itaque operam bonus Theologus præclare suam posuerit, qui universum hominis systema a fundamentis everserit.

neceſſarias eſſe naturæ, motuſque leges, ac nulli mutabilitati obnoxias; quare & violari nullo pacto poſſe, & fatali neceſſitate fieri quæcumque fiunt: deinde eſſe Deum unicam in Mundo ſubſtantiam, infinita porro illum extenſione, & cogitatione conflatum, quod poſterius quibus fallaciis, ac præſtigiis confecerit, ex Ethica innoteſcit. Ne quod ergo effugium Spinozæ pateat, duo hæc ab illo poſita initia acutus Theologus convellat, neceſſe eſt. Quod enim præterea ſtatuit, non poſſe miracula animis hominum Dei, divinarumque rerum ingenerare notitiam, error ejuſmodi, ſuperioribus fundamentis evulſis, levi negotio diluetur. Ea porro animi confidentia locum ille hunc de miraculis impetit, ut demum non dubitanter affirmet, ſi quid fortaſſe in divinis libris extiterit, quod certo, ac perſpicue oſtendi poſſit, ſtatis naturæ legibus repugnare, id omne impiorum omnino opera illis adjici debuiſſe. Nempe hoc homini non ſuccurrit in mentem, quod præcepit in Arte Poetica Horatius:

Nec quodcumque volet, poſcat ſibi fabula credi.

3. Principio autem, quo ratione, ac via procedat oratio, operæ pretium eſt, ut in miraculi naturam, ac vim inquiramus. Fucum enim in ipſo ſtatim quæſtionis aditu facit Spinoza, qui miraculum inſolitum eventum eſſe definiat, cujus cauſſam neſciamus [2], quaſi vero tot illi, tam planeque admirabiles, ac ſingulares effectus, qui in ſacris litteris deſcribuntur, de vulgi tantum, ac popelli ſententia miracula putari debeant, genuinis alioquin nec ſignis, nec prodigiis accenſenda. Lockius in opuſculo de miraculis poſthumo (*a*) Spinozæ definitionem arripuit, miraculumque eventum dixit, qui cum ſpectatorum, vel hominum cognitionem excedat, eo-

(*a*) Journ. de Scavans 1708. tom. 1. pag. 304.

2 Spinoza non aliud eſſe fingit miraculum præter opus, cujus cauſſam alterius rei ſolitæ exemplo interpretari, & declarare non poſſumus, vel is ſaltem nequit, qui rem enarrat. Quam ergo definitionem protulimus, ex propria Spinozæ doctrina petita eſt, nec illi impoſuimus. Cenſet enim, miracula olim ad vulgi tantum intelligentiam contigiſſe, atque adeo veteres id tanquam prodigium complexos eſſe, cujus rationes, & cauſſas aliis eventis ſimilibus explicare non poſſent. Operam igitur, atque oleum perderes, ſi Spinozæ cum nonnullis opponeres, fore ut ex ejus ſententia animalium ortus, atque alia id genus plurima, quorum cauſſæ occultæ ſunt, ad miraculorum claſſem pertineant. Duo enim ille ad miraculum conſtituendum requirit, cauſſæ in hominibus ignorantiam, effectuſque inſolentiam. Loc. cit. pag. 70.

rumque opinione naturæ legibus opponatur, inter divina opera referri solet. Lucilius Vanninus miraculum effectum vocabat post diuturnos Astrorum circuitus rediturum (*a*). Quibus verbis quænam subjecta sit notio divinare subdifficile est, nisi fortassis vetus spectavit Platonicorum commentum, qui id opinati sunt, fore ut, exacto anno sidereo, eadem incipiat vicissitudo rerum, eademque caussarum series retexatur. Dies me deficeret, si aliorum super hoc argumento sententias, Malebranchii, Leibnitii, Clarkii, Clerici, Wolfii, Hollmanni, qui editis etiam dissertationibus, tantopere inter se de natura miraculorum pugnarunt, prolixius complecti vellem.

4. In tanto tamen opinionum, ingeniorumque dissidio caussam ego sane non video, cur ab Augustini, nostrique Thomæ Aquinatis doctrina recedam. Præclare enim ille, & scitissime, *quæ contra cognitum nobis*, ait, *solitumque naturæ cursum Deus operatur*, *magnalia*, *vel mirabilia nominantur*(*b*); in eandem vero alter sententiam *miraculum dicitur*, inquit, *quasi admiratione plenum*, *quod scilicet habeat caussam simpliciter*, *& omnibus occultam*. *Hac autem est Deus* (*c*). Duo sunt his veri, germanique prodigii characteres, & notæ: quamobrem viris sanctissimis facem commode præferentibus, apte definiri potest miraculum, effectus, qui præter usitatas naturæ leges mechanicas accidit, & omnes caussarum naturalium vires egreditur.

5. At enim, definitione ista statuta, nullum, ais, relinquetur indicium, quo miracula possimus agnoscere, cum naturæ vires, quo pertineant, ignoremus. Certe olim populus tremores terræ, defectionesque Solis, & Lunæ referebat ad Deos. Cometæ a doctissimis quoque viris magnarum diu habiti calamitatum prænuntii, cum tamen postea deprehensum sit, esse illos sidera errantia, solida nimirum corpora, dura, spissa, & compacta, quæ cum aliis stellis de antiquitate contendant, Ellipsesque acutissimas probabiliter circum Solem describant, quemadmodum Newtonus, præter cæteros, singulari cum ingenii gloria demonstravit. Nostra etiam, ac patrum memoria innumera naturæ miracula se se extulerunt in lucem, quæ si anteactis ætatibus Peripatetici Philosophi nihil tale

medi-

(*a*) Dial. 1. 2. (*b*) Lib. 26. contra Faust. cap. 3.
(*c*) 1. par. quæst. 105. art. 7. in cor.

meditati offendissent, facile pro ostentis, atque prodigiis venditassent. Cum igitur de naturæ viribus nihil certi possimus statuere, qua demum ratione, & via miracula a rebus naturalibus distinguemus? Etiam si quidpiam præter consuetudinem extiterit, suspicari tamen non immerito poteris, præter naturam non existere; idque eo magis, quod naturæ leges, maximam saltem partem, acutiores Physicos, sapientissimosque viros prætereant.

6. Ego tamen in hac adversariorum argumentatione frustra pondus, ac momentum desidero, ut inani proinde consilio miraculorum vim exinde frangere, atque elevare conetur Spinoza. Quamvis enim nos lateat, quoad totius naturæ vis progredi agendo possit, atque procedere; novimus tamen, & vim naturæ finitam esse, & suis circumscribi terminis, atque limitibus, quos probe intelligimus, earum rerum naturas, & vires, aeris e. g. aquæ, ignis, animantium, hominum, plantarum, stirpium, a quibus, aut in quibus miraculum edi solet. Quare cum tale aliquid cernimus, quod vim, potestatemque exigit infinitam, vel ea ab homine animadvertimus effici, quæ & naturæ legibus contraria sunt, & tum suam, tum rerum earum vim superant, quibus veluti quibusdam utitur instrumentis, rei exitus, ac eventus & miraculum dicendus est, & soli acceptus Deo referri debet. Eadem fere ratione philosophatur excellenti ingenio, atque doctrina vir, quem honoris caussa nomino, Fridericus de Judice (*a*). Etsi, inquit, quo pertineat naturæ vis, egregie ignoremus, quo tamen non pertineat, clare intelligimus. Sed quid attinet argumenta hic exquisita conquirere? Quando & Spinozæ commentum repudiantis miracula, & eorum opinionis levitas, qui verentur, ne superiore definitione posita, miraculi tollatur judicium, ipsa etiam rei evidentia, atque perspicuitate refellitur. Cogitemus, divinum nobis offerri hominem, qui verbis, nutibus, momento temporis &c. ventorum impetum, tempestatesque coerceat, defunctorum corpora ad vitam revocet, morbis desperatissimis curationem adhibeat, surdorum aures ad audiendi vim patefaciat, cæcis oculorum sensum, mutis loquelæ usum, claudis liberam gradiendi facultatem, iis denique, qui membris omnibus capti sint, totius corporis firmitatem,

(*a*) Instit. Theol. Dogm. par. 1. sect. 2. cap. 2. §. 10.

tatem, valetudinemque restituat. Quis, oro, divinam hic vim, & potentiam non agnoscet, vel quis, indoctus licet, & rusticus, statim non perspiciat, tanta, ac tam mira opera caussis naturalibus, quarum ignoremus vires, sine certa stultitiæ, vel pertinaciæ nota adjudicari non posse? An necesse erit vires naturæ ad mathematicos calculos explorandas, definiendasque referre? Ipsa igitur rei evidentia sæpe miraculi indicium est, & insigne.

7. Prodigiorum, Deique hostes addiderant, nos in maxima legum naturalium ignoratione versari, quo fit, ut sine gravi erroris periculo constituere nequeamus, quinam effectus a naturæ legibus manent, quinam abhorreant, & discordent. At manifesta calumnia isthæc est, quam nec alii portare poterunt, nec Philosophi ferre. Complures enim naturæ leges, Staticæ verbi gratia, Hydrostaticæ, Hydraulicæ, Opticæ, Astronomiæ tam belle cognoscimus, ut quid illis contrarium sit, quid consentaneum incorrupte judicare possimus. Scimus, effecta omnia actionis quantitati, vel magnitudini accuratissime respondere. Scimus, omne corpus ob insitam inertiæ vim perseverare in statu suo quietis, vel motus, si quidem ab externa aliqua caussa de statu illo non deturbetur. Scimus, hoc esse corporum liquidorum ingenium, ut perpetuo nitantur & fluere, & in sphæricam se se figuram componere. Scimus, Solem deficere, cum in Lunæ umbram, Lunam vero cum in Terræ umbram incurrit. Neque nos præterit, quibus legibus cœlestia corpora circum Solem rotentur, meteora in sublimi aeris regione oriantur, maris æstus gignatur, ac ferveat, lux reflecti soleat, & refrangi, liquores pressionis vires exerceant, solida fluidis insideant, variorum generum corpora sibi motum impertiant, ut silentio præterea transeam celeberrimam continuitatis legem [3], gravitatis vim, vim magne-

3 Continuitatis principium, sive lex posita in eo est, ut natura nihil per saltum, quod ajunt, efficiat, nullumque corpus a suo ad alium statum demigret, nisi intermedios status omnes decurrerit. Verbi gratia quia nusquam natura summis ima conjungit, nec ab extremis rerum finibus ad oppositos, intermediis omissis, discurrit, crepusculorum beneficio, tanquam quibusdam gradibus, sensim a luce ad tenebras, a tenebris ad lucem traducimur, nec ipsa, quæ nostris commodis prospicit, natura patitur, ut occasum solis repente nox excipiat, & consequatur, omni prorsus luce subducta. Huic igitur

gnetis, vim electricam, atque alia id genus permulta, quæ longum eſſet enarrare dicendo. Numquid enim nihil tot ſæculis, maximis ſtudiis, ſummis ingeniis inventum putamus? Sed eſto, in tanta rerum obſcuritate, & caligine pauciſſimas naturæ leges noverimus. At illud certe ſapientes viros non fugit, generatim ejuſdem naturæ corpora, ſi nihil obſtet, & impediat, ſecundum eaſdem leges moveri, & ab iiſdem cauſſis effecta eadem proficiſci, quandoquidem nulla ineſt in natura luxuries, neque ipſa cauſſis, vel legibus ſupervacaneis redundare conſpicitur. Hac vero cognitione, tanquam præſidiis quibuſdam inſtructi quidni tuto poſſimus, adhibita etiam diligentia, & arte, de miraculis ferre judicium, eademque a naturæ effectis ſecernere, ac dignoſcere? Recte igitur, ac vere poſuimus, miraculum effectum eſſe, qui præter uſitatas naturæ leges mechanicas accidit, omneſque cauſſarum naturalium vires egreditur (§. 4.)

8. Porro ad tria ſuprema genera omnis miraculorum varietas revocatur. Alia enim miracula audiunt quoad ſubſtantiam, quoad ſubjectum alia, alia denique quoad rationem, & modum. Perſpecte eſt id, ut ſemper omnia, ſummo viro B. Thomæ obſervatum 1. par. quæſt. 106. art. 8. in corp. ubi rem paucis complectitur, & exemplis illuſtrat. Miracula quoad ſubſtantiam vocamus illa, quæ nullis unquam naturæ viribus eſſe poſſunt; quoad ſubjectum, quæ proficiſcuntur a natura quidem, non tamen in iis ſubjectis, in quibus eveniunt, ut exanimes a mortuis excitare, & cæcis videndi facere facultatem, quoad rationem tandem, & modum miracula dicimus, quæ licet naturæ viribus præſtari poſſint, nihilominus alia ratione, & via fiunt. Opus igitur, atque eventus alias naturalis in miraculum, & ſignum abit, naturali nulla vi, neque

tur legi, quam ante Lebnitium Galilæus, & alii agnoverunt, in rerum natura, nedum in Geometria, religioſiſſime ſemper mos geritur, quemadmodum, ut mittam cætera, magna obſervationum copia comprobatur. Quare ea lex in hoc de miraculis argumento egregios uſus præſtare poteſt, ut ipſis fortaſſe exemplis oſtendam, ſi id quidem opuſculi noſtri brevitas patietur. De illa naturæ lege, vel regula in Differt. de Leibnitiano Rationis ſufficientis Principio ſuperiori anno edita pluribus ego diſſerui; integram vero paullo poſt, eandemque, ut ſolet, elegantiſſimam Diſſertationem conſcripſit Rogerius Boſcovikius, vir mentis, ingeniique altitudine numquam ſine honoris præfatione nominandus.

que caussa, quo tempore effectus editur, se prodente. Id, quod probe animo recolendum est, ne forte nobiscum ipsi videamur pugnare, si subinde effectum aliquem in portentorum, signorumque numero reponemus, qui a sola alioquin naturæ vi ducere originem potuisset. Profecto si lapidem duriorem vi magna verberes, atque percutias, is rimas agit; ex terra etiam imbribus, ac rore animata stirpes, & plantæ continenter gignuntur. Si levi tamen virgæ ictu percussus rimas egerit lapis, ut inde aquæ, veluti ex fonte, scaturiant, quemadmodum olim Mosis opera factum accepimus (*a*), vel si ex arescente terra, atque seminibus destituta prodire plantæ cernantur, utrumque eventum inter prodigia recenseamus, necesse est. Quartam adhuc Gretserus, Petrasancta, Segnerius, aliique Theologi miraculorum classem adjiciunt, in eaque admirabiles effectus illos enumerant, quorum originem ex circumstantiis pateat, ab uno esse Deo arcessendam. Miracula κατὰ τὰς περιστάσεις, quoad circumstantias non immerito diceres. Verumtamen cum miraculorum ejusmodi vis tota ex modo, quo accidunt, ducatur, ac pendeat, nulli dubitamus, quin a summo, sapientissimoque Pontifice BENEDICTO XIV. (*b*) infra tertiam prodigiorum classem hi quoque eventus satis commode amandentur.

9. Sed jam ad confutanda principia, quæ homo impius erroris sui veluti fundamenta posuit, alacri animo ingrediar. Non illud igitur, quod deliravit Spinoza, repugnat intrinsecus, miracula edi posse. Etenim quam ille fatalem rerum omnium necessitatem comminiscitur, vel inducit (§. 2.), hujus ne vestigium quidem in natura reperias. Nam principio adspectabilem Mundum contingenter existere, ita ut nunquam esse potuerit, ipso sensuum, oculorumque potissimum testimonio evidentissime comprobatur. Sane perennis rerum ortus, interitus, atque vicissitudines, quas in Tellure nostra, in Sole, in ipsis stellis inerrantibus in dies conspicimus; earundem rerum indoles, ac natura, quæ cum finita est, tum a summa, absolutaque perfectione abest quam longissime, id abunde loquuntur. Deinde quod necessarie est, tale certe est, ut repugnet cogitare, esse idem aliqua sui parte mutabile, vel aliter se habere, multoque minus non esse. Nunc autem

(*a*) Exod. cap. 17. v. 6. (*b*) De Canon. SS. Tom. 4. lib. 4. cap. 1. §. 4.

autem quis citra contradictionem dilucide intelligere nequeat, Mundum sic esse, uti nihil prohibeat, eum non esse, vel quis repugnanter plura in illo, aut pauciora sidera, errantes stellas, Cometas mente, & cogitatione percipiat? An hoc repugnaverit, fingere, Astrorum figuras, magnitudines, vires, virium temperationes, cursus, loca, distantias, periodica tempora esse aliter potuisse 4, aut etiam in nostra Tellure alias plantas, homines, animalia habitare? Perspectissime eam in rem plura commentatus est Clarckius Tom. 1. cap. 4. Operis,

 quod

4 Latere erudito Lectori non potest, quid super densitatibus e. g., & distantiis Planetarum tradiderit homo in Astronomicis versatissimus Isaacus Nevvtonus Princip. lib. 3. prop. 8. corol. 3. & 4. *Densiores*, inquit, *sunt Planetæ, cæteris paribus, qui sunt soli propiores, Juppiter Saturno, & Terra Jove; diversis utique distantiis a Sole collocandi erant Planetæ, ut quilibet pro gradu densitatis calore Solis majori, vel minori frueretur. Aqua nostra, si Terra locaretur in orbe Saturni, rigesceret, si in orbe Mercurii, in vapores statim abiret. Nam lux Solis, cui calor proportionalis est, septuplo densior est in orbe Mercurii, quam apud nos, & Thermometro expertus sum, quod sextuplo Solis æstivi calore aqua ebullit. Dubium vero non est, quin materia Mercurii ad calorem accomodetur, & propterea densior sit, ac nostra.* Hæc gravissime differit præclarus ille Philosophus, cujus doctrina huc tandem revolvitur, errantium Stellarum a Sole distantias earundem densitatibus, si cætera paria fuerint, reciproce respondere. Spinozam igitur, rogo, repugnantiam ne videret aliquam, si quis animo cogitaret, vel fingeret, Tellurem, quod ait Nevvtonus, mutata densitate, ac magnitudine in Saturni locum migrare, atque ita deinceps? Scilicet. Ex duobus seminibus si alterum solo fertili committatur, comedatur alterum, seu ventorum impetu in loca sterilia absportetur, hoc arescet, fructumque non edet, planta ex illo, tanquam fœtus existet, si nihil quidem caussarum efficientiæ, actionique intercedat. Quis autem, amabo, negaverit, æque fieri potuisse, uti ex secundo semine planta oriretur, vel saltem id posse nos cogitando distincte, clarissimeque intelligere? Quidquid enim in uno semine, & in ejus conformatione partium deprehendis, quamobrem inde plantæ ortum, vel originem explices, id etiam in altero semine sine dubio reperitur.

Eodem interea referes argumenta a sanctissimis olim Ecclesiæ Patribus usurpata, cum de vi, omnipotentiaque divina differerent. Egregia extant apud Augustinum in primis (Lib. ad Marcel. cap. 35.), tum apud Præceptorem Angelicum (p. 1. quæst. 25. art. 5. & 6.), Petavium, cæterosque juniores Theologos, qui adversus Abaylardum, & Joannem Wicleffum ostendunt, facere posse Deum tum plura, tum meliora iis, quæ fecit. Cæterum non id ago, hunc numero Mundum alio ordine, structura, ac legibus condi potuisse; hoc unice volo, Mundum, quicumque demum futurus esset, se habere aliter potuisse, quin ullam in ea intelligenda re repugnantiam deprehendamus; id quod audacter negatum est a Spinoza (Eth. par. 1. prop. 33.) inquiente:

Res

quod de Dei existentia, & attributis inscribitur. Itaque ex his de Mundi, ut vocant, contingentia, atque mutabilitate cum convenire inter omnes oporteat, naturæ quoque, ac motus leges, etsi sapientissime constitutæ, tamen quod ad effectus attinet, contingentes, atque mutabiles haberi debent. Nimirum fatalis cum absit a natura, atque Mundo necessitas, potest aliqua effectuum series interrumpi, vel tolli, potest nova repente series in antecedentis locum succedere, potest motus corporum augeri, minui, & multifariam temperari, nec ullam idcirco inducimus repugnantiam, qui miracula fieri, vel evenire posse contendimus.

10. Cum vero in summo, atque supremo Numine, ne ipso quidem, quem oppugnandum suscepimus, diffitente Spinoza, infinita inesse debeat agendi vis, ac potestas, id autem queat exequi, & moliri, quod nullam præ se repugnantiam ferat, continuo existit alterum, nequam hominem Deo facultatem edendorum signorum petulantissime juxta, atque inscitissime detraxisse (§. 9.). Sed enim naturæ vis, ac potentia, respondet Spinoza (*a*), est eadem, ac divina, nec proinde poterit quidquam Deus efficere, quod naturæ vires transiliat. Latentem in herba anguem intueor. Tacite enim homo fallacissimus sumit, Mundum hunc, vel materiam esse Deum, quod vel horret animus meminisse.

11. Equidem Abrahamus Kuffælerus multum in eo operæ, ac temporis posuit, ut tantæ impietatis notam, atque ignominiam a Spinoza suo depelleret. Sic enim de illo inquit in Specimine Artis ratioc. pag. 113. *Si prædicti Philosophi intentio, vel opinio fuit naturam cum Deo hoc modo tam fœde confundere, judico illum ab adversariis juste impetitum, atque condemnatum, & memoriam ejus in omne ævum execrandam esse. Attamen quia de alicujus intentione solus potest judicare intimus cordium perscrutator Deus, nobis nihil aliud restat, nisi ut judicemus de opinione, quæ continetur in scriptis, quæ memoratus vir in lucem emisit; & licet inter illius adver-*

Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam sunt productæ. Posterius igitur argumentum suum apud omnes pondus, ac robur habere debet, adeoque & in illos quadrat, qui cum Leibnitio, Wolfio, Tolando, cæterisque vetustis, recentioribusque Philosophis esse motum, & vim essentialem corporibus posuere.

(*a*) Ibid. pag. 69.

adversarios habeantur etiam perspicacissimi, puto tamen, eos horum scriptorum verum sensum minime assecutos fuisse, quoniam in iis nihil reperio, nisi id, qnod abunde satis indicat, hunc virum minime confundere velle Deum, & naturam. Sed lavit Æthiopem Kuffælerus merito magno suo a Petro Bælio reprehensus, quod tenebras conatus sit clarissimis rebus offundere. Non alium enim Spinozæ, præter Mundum, Deum fuisse habitum ex ejus Ethica par. 1. tam aperte constat, ut expiari nullo pacto possit.

12. Alterum igitur adversus miracula Spinoziani ædificii fundamentum, Mundum hunc scilicet, sive materiam esse Deum permultis, iisdemque gravissimis argumentis convellitur. Nam I. quibus rationibus ex naturæ contemplatione petitis Cicero olim, Ecclesiæ Patres, B. Thomas Aquinas, Newtonus postea, Derhamus, Niewentitius, Lockius, Fenelonus, & alii Dei existentiam egregie, atque invicte firmarunt, his etiam illud effici deprehendes, acute si cogites, Mundum a Deo, tanquam a caussa effectrice, toto sane genere, & natura differre. II. Nulla in hac rerum universitate, & compage æternitatis vestigia intuemur, immo si ex Tellure nostra capere conjecturam quis velit, ne magnæ quidem antiquitatis, ut prolixe docuit Woodvardus. Etenim sive interiorem Telluris ipsius constitutionem, atque structuram attentius examinemus, sive veterum Scriptorum, communemque omnium gentium consensum 5 super Mundi origine consulamus, sive Rerumpublicarum, atque Regnorum initia, posthabitis fabulis, perquiramus, sive denique artes nudius tertius inventas, atque excogitatas in memoriam revocemus, firma undique nobis argumenta se offerent, quibus æternitatis Mundi patro-

5 Argumentum hoc, quo ostenditur, Mundum aliquando cœpisse, omnium uberrime, & copiosissime Jacquelotius illustravit, optimisque ad stabilitatem præsidiis communivit (Dissert. 1. de Exist. Dei cap. 11.), ut idcirco maximi faciendum sit, quidquid præter alios Parkerus, & Bælius opinentur. Illud leviusculum est, facilique negotio dissolvendum, quod Isaacus Vossius (Dissert. de Ætat. Mun. cap. 1.) desumpsit ex montibus, atque hunc in modum proposuit. Si Mundus esset æternus, jamdudum perpetuo aquarum, & fluminum cursu montes defecissent, terræque supeficies plana foret. Ei enim argumento pluribus rationibus a Physicis occurri potest. Movere autem neminem debet impia æque, ac fallacissima Peyrerii de Præadimitis opinio luculentissime a doctis viris, vix in scenam prodiit, refutata.

nos erroris, ac pertinaciæ revincamus. Ad hæc compertum eſt, Mundi hujus partes, atque ſyſtemata viribus centripetis, & centrifugis gubernari, quas, cum perpetuo ſecum confligant, & pugnent, perpetuo quoque conſumi, ac perire neceſſe ſit, quando nulla in natura virium conflictio intelligi, vel eſſe poteſt ſine quadam imminutione, & jactura, qua paullatim illæ abſumantur, atque ad ſui interitum appropinquant? Unde demonſtratum Mechanicis, quod ſi corpus aliquod eodem tempore a duabus viribus angulum efficientibus impellatur ad motum, pars virium eliditur, ipſum vero corpus parallelogrammi diagonalem deſcribit, ideſt minus ſpatii peragrat, quam a duabus viribus diverſo tempore concitum peragraſſet. Itaque ſi Mundus ſuapte natura, ab omnique æternitate extitiſſe fingatur, an non vires, quibus temperatur, ac regitur, ſe ſe penitus eliſiſſent? III. Res quotidie omnes mutantur, infinitas viciſſitudines ſubeunt, nec ulla prorſus neceſſitate extitere (§. 9.) ut, proinde æternæ, atque immutabilis mentis nec attributum, nec pars vel numerari, vel eſſe poſſint. Nec prodeſt ad argumenti vim declinandam materiam a corporibus cum Spinoza ſecernere, & hæc quidem mutationi obnoxia, illam immutabilem dicere. Cum enim id vocetur mutabile, quod, eadem interim permanente ſubſtantia, novis modis afficitur, cui aliquid additur, vel detrahitur, ejuſmodi autem materia ſit, perſpicue patet, mutabilitatem materiæ etiam, nedum corporibus, convenire, adeoque plurimum intereſſe Mundum inter, & Deum, *apud quem non eſt tranſmutatio*, *nec viciſſitudinis obumbratio*, ut divine inquit Jacobus (a). Celebratiſſimi illi Poetarum Dii Protheus, Vertumnus, Thetis, qui veluti exempla levitatis, atque inconſtantiæ hominum paſſim afferri ſolent, Dii plane immutabiles, & Catoniani habendi eſſent, ſi Spinoziano iſti Deo immutabilitas concedatur. Neque enim Poetæ eo uſque deſipiunt, ut eos velint ſubſtantiæ mutationem facere, ſed id unum affirmant, in novas ſpecies, vel, ſi mavis, in novos tantum ſe modos induere.

Verum ubi correptum manibus, vincliſque tenebis,
Tum variæ illudent ſpecies, atque ora ferarum.
Fiet enim ſubito ſus horridus, atraque Tigris,
Squa-

(a) Epiſt. Canon. cap. 1. v. 17.

Squamosusque draco, & fulva cervice leæna:
Aut acrem flammæ sonitum dabit; atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.
Sed quanto ille magis formas se vertet in omnes,
Tanto, gnate, magis contende tenacia vincla,
Donec talis erit, mutato corpore, qualem
Videris, incæpto tegeret cum lumina somno.

Sic enim Protheum apud Virgilium (a) Cyrene Aristæo Filio suo describit. Sed quid? Protheo huic, qui in tot transformat se se miracula rerum, si Spinozæ insistamus vestigiis, immutabilitatem tamen necesse erit adscribere. Ex quo aperte intelligimus, eo rem deductam esse, ut, si nihilominus Spinoza Deum velit cum Mundo obstinate confundere, ante omnia constituendum homini sit, velle se prudentem, & videntem cum tota ratione pugnare, idest miserabiliter insanire. IV. Materiem, & corpora quacumque cogitatione destitui, immo ne divina quidem virtute cogitandi vim adscribi, aut convenire posse corporibus, dogma est metaphysicum adversus Hobbesium, Spinozam, Tolandum, Lockium, Covvardum, & alios ex repugnantibus corporis, & animi proprietatibus diserte, copioseque patefactum. Cogitatio enim cum soliditate, vi inertiæ, & divisibilitate materiæ conciliari non potest. Præterea ut corpus cogitatione exornetur, suarum perceptionum conscientia afficiatur, necesse est, quo tamen nihil magis factu ἀδύνατον, vel repugnans invenio. Omnis enim, quæ in corpore locum habet mutatio, motu perficitur, eademque non nisi in mutatione figuræ, magnitudinis, situs, & loci posita est. Quocirca si quædam aliarum rerum imagines in ipso corpore exprimantur, id aliter fieri, & esse nequit, nisi quibusdam motibus, quibus nonnullæ corporis partes ita conformentur, ut figuram rei objectæ similem nanciscantur. At quantocumque demum tempore corporea hæc imago, species, vel idea permaneat, nihil est tamen, quod ejus sibi sit conscium, cum conscientia ab ipsa objectæ rei repræsentatione, vel specie prorsus dissideat. Corpori igitur cogitandi vis adjudicari nullo pacto potest, atque hinc Spinozæ de Deo doctrina in somniis, & commentis ponenda. V. Quid enim ineptas definitiones, principia precaria, ambages,

(a) Georg. lib. 4. v. 405.

ges, fallacias, & cætera errorum genera hic complectar, quibus pro impia tuenda sententia usque adeo se torsit, miserrimeque implicavit Spinoza, ut secum luctari potius, atque omne rationis lumen restinguere, quam serio philosophari videatur (a)? Quare fateri cogimur, Deum, secus atque Pantheistarum mentiatur familia, ex infinita cogitatione, immensoque corpore non constare, sed a Mundo, quem singulari sapientia, consilio, libertate condidit, atque administrat plane dissidere, & distingui [6].

13. Præ-

(a) V. Nievvent. Exist. de Dieu &c. Disc. Prelim. §.6. Wolf. Theol. nat. par. 2. sect. 2. cap. 4.

6 Non dubito fore aliquos, qui me reprehendant, quasi plus æquo Philosophiæ rivos consecter, in sacroque argumento Philosophi potius, quam augustiorem Theologi personam sustineam. Quos etsi ego inter litteratos Ephemeridum censeam, nec illorum reformidem judicia, morosum tamen hominum genus placare volo, cum præsertim non unum habeam, quo accusationem depellam. Oro igitur, animadvertant, contritum apud nos esse vetustate proverbium, humanas artes, & disciplinas Theologiæ quam intime consociatas esse oportere, eique, tanquam ministras quasdam Dominæ suæ, subservire, ac famulari. Quare Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. verissime docuit, *Philosophiam ante Domini adventum Græcis ad justitiam fuisse necessariam, nunc autem ad religiosam pietatem utilem esse, eo quod prævia quædam eruditio sit iis, qui Fidei per demonstrationem fructum colligunt.* Sed ex Clemente plura in rem meam scitissime conclusa invenies apud Melchiorem Canum lib. 5. de Locis cap. 5. Jam inde a principio monui, agere me cum Spinoza, cum homine scilicet, qui ad evertendam Religionem philosophiam præsertim in pravos usus convertat, quemque ea de caussa necesse sit suis armis, atque mucrone confodere. Si qui igitur accusaturi me sunt caveant, quæso, ne eadem opera sanctissimis Religionis nostræ Proceribus injurii videantur, Origeni, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, Didymo, & de Latinis Tertulliano, Augustino, Lactantio, Hieronymo, aliisque sexcentis, qui, ut ex Græcorum doctrinis profanorum hominum errores fortius, illustriusque refellerent, in addiscendis bonis artibus, & disciplinis multum ætatis contriverunt. Cyprianum, hominem utique de nostris doctissimum, reprehensum olim accepimus, quod Demetrianum a Christiana Religione maxime omnium abhorrentem non Philosophorum, & Poetarum, quorum ipse unice auctoritate nitebatur, sed nostris dumtaxat, hoc est sacrorum Librorum testimoniis, oraculisque impugnaverit. Quamquam obtrectatores nostros vel unico possem Cardinalis Prosperi Lambertini exemplo uberrime confutare, ad Palinodiamque compellere. Is enim lib. 4. de Canoniz. SS. quem ego Librum omni auro cariorem existimo, frequenter, prout ratio instituti postulat, disertissimi, acutissimique Philosophi partes magna cum gloria, ac dignitate tuetur. Sed hæc semel animadvertisse sufficiat. Vide interim, si placet, Oration. cum not. editam Romæ an. 1744. a Fr. Thoma M. Mamachio ex Dominicanorum Familia de ratione tradendæ Philos. &c. tum Orat. 9. editionis Lucensis, Alexandri Politi de CC. RR. Scholar. Piar.

13. Præcipua hinc Spinozæ, Tolandi, Hobbesii, & similium contra miraculorum vim argumenta, vel potius captiunculæ depelluntur. Collegit illas nuperrime, ac refutavit Israel Gottliebus Canzius in Opere de Meditationibus Philos. par. 2. cap. 22. quod Tubingæ anno abhinc quinto in manus hominum emissum est. Argumenta ejusmodi in tres fere classes generatim conferri possunt, 1. fatali rerum omnium necessitate miracula posse accidere, repugnare, 2. cum Deus a Mundo, atque natura non differat, ea potestatem, ac vim divinam excedere, 3. miracula edere a summa Dei sapientia abhorrere. Verum hæc omnia, & alia id genus nonnulla partim ex superioribus locis funditus labefactantur (§. 9. 12.), partim sunt ejusmodi, quæ neminem paullo acutiorem permoveant. Tale est illud, quod sæpe Spinoza commemorat (*a*), naturæ leges fertilissimas esse, non infœcundas, nec steriles, quibus cogatur Deus identidem subvenire. Neque enim leges, ut vocamus, mechanicæ ea de caussa infœcundæ putandæ sunt, quod miracula ex illarum præscripto fieri, & expliri non possunt. Nam miracula rerum creatarum vires transiliunt, neque ad naturæ, sed ad ampliorem, ac nobiliorem quendam extraordinariæ, ut vocant, providentiæ ordinem referuntur, quo naturæ leges, etsi in suo quæque genere amplissimæ, fœcundissimæque, non pertinent. Ludit igitur, ut semper solet, Spinoza, quod binos illos constitutos a Deo ordines inter se malitiose commisceat.

14. Cæterum Abbas Huttevillius, quocum aliqua in parte concordat Leibnitii sententia (*b*), non ægre Spinozæ concederet, naturæ leges patere latissime, & ad utrumque ordinem pertinere, adeoque & ipsa miracula ex illis necessario sequi. Censet enim, sapientissimum Deum a Mundi initio generales quasdam leges scivisse, juxta quas res universas moderatur, ac regit, ita vero naturales caussas dispósuisse, atque ordinasse, ut tali tempore certos essent effectus, quos miracula dicimus, necessario edituræ. Miracula autem effectus illos vocari, non quod præter naturæ leges eveniant, sed quod nobiliorem finem propositum habeant, & inusitati sint, nobisque prorsus incogniti, quemadmodum etiam pluribus Augustini locis probari potest. Secundum hanc igitur Huttevillii do-

(*a*) Ibid. pag. 69. (*b*) Theod. §. 206. 207. 355.

doctrinam leve illud Spinozæ argumentum ex naturalium legum fœcunditate deſumptum vim ſtatim omnem amitteret, immo ne locum quidem haberet. Ego tamen in explicatione ejuſmodi ſine ſollicitudine acquieſcere nequeo. Nam neque cum ipſa miraculorum natura videtur congruere, & a Spinozæ opinione vix abeſt, qui ad miraculum, præter rem inſolentem, cujus cauſſa lateat, requirit præterea nihil (§. 3.) Hoc unum inter utrumque differre animadverto, quod Huttevillius Deum, ut facit Spinoza, cum natura non miſceat, quamvis in interpretatione miraculi ita deinde conveniant, ut vix ovum ovo ſimilius invenias. Quocirca Huttevillius, ut ipſe teſtatur de ſe (*a*), multorum Theologorum effugere reprehenſiones non potuit.

15. Redeo ad Spinozam, qui quod ait, ſacris Scriptoribus non fuiſſe propoſitum ad philoſophiam homines erudire, de hoc nemo dubitabit. Sed quod inde concludit, ſi quandoque res admirabiles, atque inſolentes recenſeant, demonſtrari non poſſe, miraculum contigiſse, id tale eſt, ut difficile ſit de imperitia hominis, perinde ut cauſsa poſtulat, dicere. Etenim etſi ſacræ litteræ philoſophica ratione, & via miracula non exponant, at certe ad confirmandam religionem, hominumque in Deum voluntatem, pietatemque inflammandam enarrant, quod nec Spinoza diffitetur. Quidni vero ex re admirabili, quæ narratur, & contigit, poſſimus meditando intelligere, naturalem ne cauſsam, an Deum auctorem, atque effectorem habuerit? Ut ecce homo in Eliſei ſepulchrum projectus, ejus vix oſsa tetigit, dicitur revixiſse: an aqua nobis hærebit, ferrique non poterit de tanti prodigii efficiente cauſſa judicium?

16. Quis etiam hoc loco confidentiam, licentiamque Tolandi non rideat, qui in Ἀδεισιδαιμόνει (*b*), ut omnia, inquit, Romani miracula, teſte Livio, finxerunt, ſic & poſtmodum, & hodie confinguntur? Quaſi vero quia multæ identidem ab imperitis, vel fraudulentis hominibus circumferuntur fabellæ, omnes idcirco hiſtoriæ in ſuſpicionem venire debeant falſitatis. Utrique abſurde faciunt & qui cum Romana plebe, ſi mures corroſerint aliquid, miraculum credunt, & qui cum Tolando impudentiſſime nulla credunt. De noſtris ſane Auguſti-

nus,

(*a*) Præfat. ad 2. Edit. 1740. (*b*) Pag. 30.

nus, vir, qui nec facile ob eximiam rerum ſcientiam hallucinari poſſet, nec ob probitatem aliis vellet imponere, in ſola Hipponæ urbe duorum intervallo annorum, quo ſcilicet tempore D. Stephano ædicula ponebatur, ſexaginta, eoque amplius contigiſſe miracula, quorum magnam partem ſuis ipſe oculis hauſerat, graviſſime fidem fecit (*a*). Sed video, quo Tolandus collineet. Litem occupat, eademque opera dirimit, quæ hodie Anglos, ut audio, in factiones diſtraxit, divinum ne miraculorum donum defecerit, quod certe apud illos exoleviſſe mihi non difficulter perſuaſerim.

17. Nunc cætera ordine perſequar, quæ ex principiis antea conſtitutis dimanant. Cum miracula præter uſitatas naturæ leges mechanicas accidant, atque omnes naturæ vires excedant (§. 4.), illud ſtatim conſectarium eſt, prodigiorum, quæ proprie dicimus, Auctorem non alium fore, quam Deum. Multa pro hujus ſtabilitate ſententiæ acutiſſime ſcripſit D. Thomas Aquinas, lectu illa utiliſſima, ac digna oppido, quæ in ſuccum, ut ajunt, ac ſanguinem convertantur (*b*). Exinde autem patebit & hoc, minus recte ſenſiſſe tum Clarkium, tum Tillotſonum, tum Chriſtianum Hollmannum opinatos, effectricem miraculorum vim bonis item, maliſque Geniis convenire. Negabunt fortaſſe, probe a nobis definitum eſſe miraculum. Verum hoc ſcio, me improba, ac longa mediatione definitionem aliam, qua planius difficultates omnes expedias, in adverſariorum operibus necdum reperiſſe. Aliunde ipſi, qui amplam Dœmonibus edendi prodigia copiam, poteſtatemque fecerunt, argumentum pro Chriſtianæ religionis veritate ex miraculis ductum plurimum elevant, & enervant, ut peculiaribus opuſculis Noltenius Francofurti Theologiæ Profeſſor, & Jacobus Serces Applebyenſis Vicarius oſtenderunt. Nos vero nihil ſentimus, quod cum divini Numinis majeſtate, providentia, bonitate, magnificentia, cæteriſque attributis mirifice non cohæreat. Immerito igitur Hollmannus (*c*) Abbatem Huttevillium reprehendit, qui vera miracula a ſolo Deo proficiſci poſſe docuerat.

18. Et ſane incredibile omnino eſt, atque a ratione alienum videtur, Deum, qui ſumma ſapientia leges mecha-

 nicas

(*a*) Lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. (*b*) Lib. 3. cont. Gen. cap. 103. & 104.
(*c*) Comment. Philoſ. de Mirac. & genuinis eor. criter.

nicas rogavit, & sanxit, naturis vacantibus corpore tantum virium largitum esse, ut, si velint, leges illas mutare possint, ac pro arbitrio perturbare. Nemini enim Rex ille suam esset sapientiam, providentiamque probaturus, qui administris suis facultatem faceret leges magna cura excogitatas a se se, ac munitas, quoties libuerit, vel abrogandi, vel invertendi: neque ego caussæ aliquid video, cur de supremo Numine aliter sit a nobis sentiendum. Quin etiam si Angelis veri efficiendi miraculi, quæ semper veluti quædam divinitatis nota habita est, facultas concedatur, metuere prudens quisque posset, ne Genii nimis, quam certe deceat, Deo similes videantur, atque in totidem veluti Numina convertantur. Tandem cum Deus gloriam, cui semper studuit, suam partiri, & communicare velit cum nemine, haud probabile est, eam creatis mentibus potestatem fecisse, quæ gloriæ suæ splendorem non mediocriter imminueret, quaque a rebus omnibus, eximiæ licet, præstantisque naturæ, tanquam charactere dignoscitur, ac secernitur. Germana ergo prodigia ab uno optimo, maximoque Deo, qui *facit*, Davide teste (a), *mirabilia magna solus*, veluti a caussa, atque principio consultius repetemus.

19. Hinc autem deduci, & colligi multa possunt. Sequitur enim primum, Atheos, si qui sunt, Deum esse ex animi sententia inficiantes, nulla posse miracula, nisi secundum vulgi opinionem, admittere. Atque ideo evidenter apparet connexi ratio, quæ inter miraculi, Deique existentiam reperitur, ut paullo post copiosius explicabo. Nec tamen est consequens, quicumque esse Deum affirmant, eos etiam vera miracula concedere, ac probare. Negare enim, licet impie, possent, Deum miracula edere aut posse, ut velle, vel quia rerum naturam cum Spinoza, & Hobbesio absolutæ necessitati subjiciunt, vel quia ipsa miracula divinæ sapientiæ regulis repugnare arbitrantur. Si quis ergo prodigia de medio tolleret, inde statui certo non posset, Atheum esse hominem, Deumque nullum relinquere. Toto illo pestifero de Incantatione libro conatus est miracula subruere nequissimus Pomponatius; neque idem tamen esse Deum negavit.

20. Sequitur deinde, genuina miracula in hos compara-

ta

(a) Psal. 71.

ta eſſe uſus, ut patefaciant, atque corroborent veritatem, inſcite ergo nugari Deiſtas, qui a miraculis impietatis etiam, & ſuperſtitionis, nedum mendacii, vel erroris confirmationem, ac teſtimonium peti poſſe pronunciant. Oriuntur enim a Deo (§. 17. 18.), qui falli nequit, vel fallere, aut mendacium ſuo calculo approbare.

21. Sequitur tertium, gratioſis Deo hominibus edendorum ſignorum facultatem, & vim hoc unice ſenſu tributam eſſe, quod Deus ipſe ad eorum ſe preces, voluntatem, nutumque convertens miracula, vel ſigna edit. Atque id locupletiſſimis quoque divinorum librorum oraculis conſentaneum eſt. Prodigia ſane Moſaica manifeſto vim ſummi Dei, numenque declarant. Is enim in Exodo *extendam*, inquit, *manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum* (*a*). Ad hæc quamvis Joſue imperio Sol in medio cœlo immobilis ſteterit, id nihilominus dicitur, obediente Deo voci hominis, fuiſſe geſtum. Quid plura? Ubi Chriſtus O. M. diſcipulis, legatiſque ſuis contulit poteſtatem, ut a furiis exagitatos homines curarent, ut linguis, quas non didicerant, uterentur; ſerpentes citra periculum tollerent, venenum ſecuri obbiberent, morbos denique, admota manu, ab ægrotis depellerent (*b*), continuo quinam fuerit rei exitus Marcus commemorans rotunde affirmat, Deum Apoſtolorum conciones, & dicta ſignis conſequentibus confirmaſſe. Auctori igitur Deo prodigia a Moſe, Joſue, Apoſtolis perpetrata tribuuntur, ut proinde, quod de Sacerdotibus ſacrorum miniſtris diſerte olim Chryſoſtomus docuit, gratioſos Deo homines morales miraculorum cauſſas aptiſſimo ad rem exprimendam vocabulo nominare poſſimus.

22. Quandoquidem tamen prodigia a Deo ad diſcipulorum voluntatem, & nutum edita illorum protinus dicta, mandata actiones partim comitata ſunt, partim ſubſecuta, hinc hominibus, qui aderant, ea alte inducta eſt perſuaſio, ipſos per ſe Apoſtolos, virtute licet divinitus accepta, miracula effeciſſe; nefarius autem ille Simon divinum munus, poteſtatemque id generis venalem eſſe, pretioque parabilem exiſtimavit.

23. Sequitur tandem, eo vera ſpectare miracula, ut

 Deum

(*a*) Cap. 3. v. 20. (*b*) Mar. cap. 16. v. 17.

Deum esse, rebusque omnibus providere demonstrent, tantum abest, quod ait Spinoza, ut recta homines ad Atheismum adducant. Cum enim a solo Deo originem habeant (§.17.18.), neque approbandi erroris gratia patrari possint (§.20.), ex iis pro Dei existentia, providentia, propensaque erga homines natura, & rursus pro doctrinæ cujusquam, ac religionis veritate firmissimum, multoque locupletissimum argumentum desumitur. Immo & apparet, Deum a natura, atque Mundo penitus dissidere, eademque opera definitionis se nostræ prodit utilitas. Quod vero naturæ ratio luculenter patefacit, id ipsum sacrorum voluminum divina persuadet auctoritas: Nam cum Joannes disciplinæ suæ Alumnos ad Christum misisset interrogatum, Messias ne esset, quem tandiu homines maximis studiis expetivissent, ille missionem suam probaturus non longe repetita argumenta subtiliter consectatus est, sed statim ad sua miracula provocavit. Ite, inquit, & quæ vidistis Joanni nunciate. Cæci, claudi, surdi, scabiosi sanitatem recuperant, ad vitamque mortui revocantur (*a*). Quod tantundem erat, ac si Messiam se esse magna eloquentia demonstrasset, cum ex editis prodigiis quivis eum facile posset agnoscere. Hinc vix antea idem Christus aquam in vinum converterat, statim Dei se esse Filium patefecit, *& crediderunt in eum discipuli ejus* (*b*) judicio veritatis coacti. Quamquam quid diutius de hoc laboramus? Sexcentis enim in locis perspicue a sacris Auctoribus, ac nominatim a Mose affirmatur, Deum portenta effecisse, ut sui notitiam hominibus instillaret, refractariosque Judæos numinis, ac dignitatis suæ convinceret.

24. Nec opponat Spinoza, id revera prodigiis non comprobari, sed tantum sequi, eas Judæorum animis insedisse opiniones, ut commentitiis illis miraculis facillime moveri possent (*c*). Etenim præterquam quod hæc Spinozæ responsio naturali ipsa ratione prorsus evertitur (§. 23.), sæpissime Deus miracula se editurum asseruit eo consilio, atque fine, ut se supremum Deum esse, caussamque rerum omnium effectricem, atque gubernatricem ostenderet: *ut sciatis*, inquit, *quia ego Dominus* (*d*). Nempe, urget, disserebat Deus, vel Moses ex concessis, & absurdis opinionibus Judæorum. Sunt enim

(*a*) Matt. cap. 11.
(*b*) Joan. cap. 2. v. 11.
(*c*) Ibid. pag. 74.
(*d*) Exod. 10. v. 2.

enim argumenta id generis in ſacris litteris plane uſitatiſſima. At hic Spinoza Œdipo eget interprete. Nam & quæ eſſent iſtæ Judæorum opiniones, & cur abſurdæ, aſtute ſilet. Illud, puto, homo vaferrimus ſibi vult, quantum ex ſuperioribus colligo (*a*), abſurde de Deo, & natura Judæos ſenſiſſe, quod utriuſque vim, ac potentiam diſtinctam exiſtimarent, cum tamen, ipſo judice, *quid per Deum*, *& naturam intelligerent*, *neſcirent ſane*, *niſi quod Dei potentiam*, *tanquam regiæ cujuſdam majeſtatis imperium*, *naturæ autem*, *tanquam vim*, *& impetum imaginarentur*. Verum ſi res ita ſe habet, non abſurde Judæi de divino Numine ſentiebant, ſed abſurde potius philoſophatur Spinoza, qui mare cœlo miſcens Deum cum materia, & natura fœde, impieque confundit (§. 12.). Novimus quidem, ſolere interdum divinorum librorum Auctores ex vulgi loqui ſententia, quod vocant Dialectici κατ' ἄνθρωπον, ideſt ad hominem argumentari, cum tamen de miraculis agunt, hanc certe diſſerendi legem non adhibent, nec unquam fuiſſe illam adhibitam a Spinoza oſtendetur. Latius enim profanus homo tale argumenti genus patere vult, quam divinæ Scripturæ ſenſus, naturaliſque ratio patiatur. Accedit, quod Chriſtus Servator noſter eorum impietatem damnavit, qui, multis licet perſpectis prodigiis, nihil tamen obſtinatione quadam ſententiæ de pertinacia ſua remittebant. *Væ tibi Corozain*, ait, *væ tibi Bethſaida*: *quia ſi in Tyro*, *& Sidone factæ eſſent virtutes*, *quæ factæ ſunt in vobis*, *olim in cilicio*, *& cinere pœnitentiam egiſſent*. *Verumtamen dico vobis*: *Tyro*, *& Sidoni remiſſius erit in die judicii*, *quam vobis* (*b*). Vulgaris igitur, & recepta de miraculis, de Deo, ac natura ſententia abſurda eſſe non potuit; alioquin immerito Chriſtus Judæorum illorum pertinaciam, qui ne effectis quidem a ſe prodigiis moverentur, nec reſipirent, tam acriter objurgaſſet.

25. Urget tamen, & nihil remittit Spinoza. Miraculum opus eſt, inquit, quod per cauſſam explicari non poteſt, hominumque captum, & cognitionem excedit. Ex opere autem, vel effectu captum hominum excedente nihil poteſt recte colligi, nihil intelligi. Ad hæc cum miraculum ſit opus finitum, finitamque potentiam exprimat, cognoſci exinde nequit,

(*a*) Ex initio cap. hujus 6. (*b*) Math. cap. 11. v. 2.

quit, caussam, a qua editur, esse infinitam. Verum rem longe clarius ex cognitione, adspectuque naturæ intelligimus, cujus leges cum ad infinita pertineant, immutabilesque sint, & æternæ, atque ejus effectus ex Dei fluant essentia, rerum natura cognita, statim Deum ipsum, ejusque numen cognoscimus. Ex quibus apparet, miracula, quacumque demum ratione explicentur, ad populares fabulas esse amandanda, eorundemque contemplatione, & præsidio non posse homines ad divinitatis cognitionem assurgere. Atque hæc verbis multo obscurioribus, planeque perarroganter Spinoza (*a*).

26. Quamvis enim prodigia ope caussarum naturalium interpretari non possimus, nec plerumque qua ratione, & via contigerint, intelligamus, contigisse tamen agnoscimus, atque hinc esse Deum, qui tantas res administret, hominibusque provideat, luculenter colligimus (§. 23.). Vide, quæso, Spinozæ imperitiam. Certo non scimus, ignoravit autem Spinoza, undenam Auroræ, quas Boreales dicimus, oriantur, ex lucis ne reflexione, atque refractione, an ex igneis quibusdam halitibus in aere accensis, an ex Zodiacali solis lumine, ut Dorto Mairanus, aliique existimant, an ex materia tandem electrica, ut Franklinus, & Beccaria noster (*b*) conjiciunt. Num igitur Auroræ illæ in cœlo non comparent, nulli caussæ debent originem, admirationem non rapiunt? At turpe est Tullianum illud nescire: *etsi caussæ non reperiantur istarum rerum, res tamen ipsæ observari, animadvertique possunt* (*c*). Primum igitur Spinozæ argumentum puerilis fallacia est, digna, quæ magis Orbilii ferula, quam verbis castigetur. Progrediamur ad reliqua.

27. Nonnulla miracula talia sunt, quæ vim necessario postulant infinitam, ut mortuos vitæ restituere, morbos solo voluntatis nutu sanare, & similia; omnia universe, quoniam totius naturæ vires transiliunt (§. 4.), ipsa per se ostendunt, caussam esse Mundi effectricem, quæ illi præsit, & imperet, cuique infinita agendi vis, ac potestas conveniat; unde miracula, etsi opus quoad substantiam finitum, compendiariam nobis viam ad Dei, divinarumque rerum cognitionem aperiunt. Cognitionem vero hanc ex Mundi adspectu, & contemplatione

(*a*) Ibid. pag. 72. (*b*) Lib. 2. de Electric. natur. cap. 7.
(*c*) Divin. cap. 21. lib. 2.

ne naturæ affatim hauriri posse, non erat cur nos Spinoza condocefaceret. Quis enim tam plumbeus sit, qui cum tam certos cœli motus, tam varios Astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa, & apta viderit, serio negare possit, ea ab excellenti aliqua, divinaque natura constituta fuisse? Sæpe nihilominus usu venire solet, ut magis miraculis, quam tot præclaris Dei operibus homines moveamur. Caussa illa est, quod *assiduitate quotidiana*, ut verbis Ciceronis dicam (a), *& consuetudine oculorum assuescunt animi, neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident: proinde quasi novitas nos magis, quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas caussas excitare*. Solem quasi igneum quendam Oceanum nostris capitibus imminere, stellasque omnes tam ordinatim ab occasu ad ortum discurrere, nonne pluris faciendum est, quam si Hierichuntis mœnia solo æquentur? Majori hoc tamen, quam illa, quia assidua, & quotidiana sunt, Judæorum animos admiratione complevit. Vide ut Augustinus divine, & ad rem hunc locum exornaverit Tract. 24. in Joan. Eduntur ergo prodigia, non quia in natura adjumenta, & præsidia desint, quibus, veluti gradibus, ad Dei notitiam assurgamus, sed vel ut impii homines, qui illa negligunt, ad bonam mentem redeant, vel ut quæ vera religio sit, confirmetur, vel denique ut vitæ sanctitas, atque innocentia, qua nonnulli florent, opportune ostendatur. Cætera, quæ Spinoza de naturæ legibus, & effectis in argumento commiscet, quoniam sunt a nobis superius occupata, refutatione non indigent.

28. Missa hic etiam facio quæ de Tuciæ, Claudiæ, Pythagoræ, Vespasiani, Tarquinii, Apuleii, Magorum, aliorumque aut Gentilium, aut Hæreticorum miraculis opponi solent. Res enim a viris doctissimis dilucide explicata longiorem a me orationem non postulat [7]. Tantum de ostentis Gentilium

pauca

(a) Lib. 2. de Nat. Deor. cap. 38.

(7) Supersedebo præterea dicere de Muhammedis miraculis. Nam passim Muhammedes ipse in Alkorano testatur, non fuisse se eo missum consilio, ut signis, atque prodigiis, sed ut vi armorum (quo nihil fingi potest absurdius) Religionem propagaret. Cæterum fuisse Muhammedem evectum in cœlos, scidisse Lunam, in pristinum restituisse, noctu cum Camelo habuisse colloquia &c. fabellæ hæ sunt, quæ fidem vix apud Judæum Apellam invenient. Næ tu, qui hæc prædices, declamator egregius.

pauca universe subjiciam, & quæ nostra de Apollonio Thianæo sententia sit, separatim aperiam. Ex illis igitur Ethnicorum prodigiis constat, pleraque eventa fuisse fortuita, aut sola naturæ vi contigisse, nisi quod cum caussas, rationesque ignorarent, nec studiose, ac solerter inquirerent, statim veteres in miraculorum familiam cooptabant. Huc pertinent Cometæ, a quibus insignia infortunia, Regumque mortem monstrari, ac prædici censebant. Huc insolitæ solis defectiones a Plinio, Aurelio Victore, Virgilio celebratæ, quæ verisimillime a grandioribus quibusdam maculis, sive sordibus in illius superficie simul coagmentatis proficiscebantur. Huc cœli ardor, atque inflammatio, instructæque militum acies inibi non raro visæ, quas ad Boreales auroras, ac varias earumdem vicissitudines commodissime referas. Huc fulmina, a quibus Deorum delubra e cœlo tacta, huc solaris orbis, de qua Livius (*a*) imminutio, huc sanguinis cæteræque id genus pluviæ, huc denique, ne longum faciam, monstrorum diversæ speciei ortus, quæ etsi raro nascantur, non magis tamen adscribenda miraculis, quam perpetuus signorum ortus, & obitus. Protulerunt multa hanc in rem exempla præter alios, sagaces plane viri Godinus (*b*) Abbatesque Anselme, ac Freretus in singularibus dissertationibus de eo argumento conscriptis (*c*).

29. Apollonio vero Thianæo veteres, ut existimo, nimis, quam par est, detulerunt, multoque minus Cudwortho (*d*) assentior scribenti, Apollonium malignorum geniorum ope quam plurima miracula edidisse, immo ab Inferorum Principe Apollonium excitatum, ut Servatoris nostri prodigiis lucem, momentumque suum adimeret. Quis enim facile adduci possit, ut credat, sapientissimum Deum, qui humani generis felicitati salutari Christi doctrina unice consultum volebat, æquo sivisse animo, ut quo tempore Servatoris nostri discipuli terrarum orbem circumibant, & partim illius partim suis miraculis obcœcatos superstitione populos ab erroribus revocabant, nefarius geniorum Princeps de suis pariter aliquem mitteret, qui amplissima efficiendi miracula virtute instructus divina consilia interverteret, & quos Deus salvos, beatosque esse cupiebat, morti addiceret sempiternæ?

De

(*a*) Dec. 3. lib. 2. cap. 2. (*b*) V. Hist. Acad. Reg. scient. ad an. 1726.
(*c*) Extant tom. 6. Acad. Inscript. (*d*) Syst. Intel. cap. 4.

De Apollonio igitur Thianæo ego sic statuo, hominem non indoctum pro sua ætate neque Medicum, neque Philosophum partim ope naturalis scientiæ, partim fraudibus ea gessisse, apud idiotam in primis populum, quæ summam illi auctoritatem, admirationemque pepererint, quæque deinde rumore vulgi aucta, atque, ut solet, ornata ad miraculorum dignitatem pedetentim obrepserint. Ex his fontibus Philostrati opus de vita Apollonii dimanavit, atque his permotus argumentis Hierocles eo usque desipuit, ut ludos illos, curationesque Philosophi cum divinis Christi prodigiis arroganter contulerit.

30. Ut autem in eam, quam dixi, abeamus sententiam, multa nos movent. Principio Apollonius bonam juventutis partem in celeberrimo apud Ægas Æsculapii Fano inter Dei hujus Sacerdotes consumpserat. Hac vero natione hominum præstantiores olim non erant Medici, quod omnis Dei illius famæ celebritas, atque religio sanationibus, morborumque curationibus unice niteretur. Itaque eximiam Medicæ artis scientiam cum sibi Apollonius comparasset, illasque obiret Orientis provincias, in quibus ingens erat Medicorum penuria, ita ut Deo simillimi judicarentur, qui corporis morbis afferre nossent remedium, facile apud imperitam multitudinem aliquot curationibus obtinuit, ut insignium prodigiorum auctor, & Æsculapius, vel Chiron alter ab omnibus haberetur. Cujus rei illud etiam documento esse potest, quod Apollonii discipulus Alexander, cujus fraudes in Pseudomanti Lucianus exposuit, eadem ratione, & arte, Medicinam nimirum tractando, Æsculapiique familiarem sese prædicando eximiam sibi apud populos laudem, nominisque gloriam comparavit, ut ibidem Lucianus testatur. Cætera Apollonii miracula, quæ explicari hac via nequeunt, ad fraudes, atque artificia refero, quibus per id temporis, qui se Magos vocabant, incautæ plebi imponebant. Moveor autem uberrimis recentiorum Physicorum experimentis, atque periculis habitis circa rem Opticam, Hydrostaticam, Staticam, aerem, vim electricam corporum, vim magnetis &c. quæ si olim celata, qua fiunt, arte instituta coram fuissent, profecto & doctissimos homines in sui admirationem excitassent (a). Moveor præterea, ut ita sentiam,

 splen-

(a) Conf. Conft. Grimaldum differt. de trib. Mag.

ſplendidis Laurentii Moſshemii animadverſionibus in Cudworthum (*a*), moveor Philoſtrati ſtilo, qui circulatorem potius, quam ſcriptorem veritatis cupidum deceat, moveor tandem uſitatis illis veterum Sacrificulorum, & Philoſophorum dolis, & artibus, quibus Chriſtianæ Religionis vim, qua palam, qua per cuniculos impetebant. Fraudi certe, doloque malo adſcribendum, quod narrat Philoſtratus, Apollonium Athenis ex neſcio cujus hominis corpore perpetuo ridentem genium. minis expulisſe, eundemque abeuntem e corpore regalem in Urbe porticum, nempe ſtatuam, ingenti cum ſtrepitu evertisſe. Genius enim iſte, ſi quidem res contigit, non alius demum fuit, niſi Apollonius, qui ut verſutus, & plebis decipiendæ avidus erat, prætérque modum gloriæ appetens ſignum ita labefactavit antea, ut non posſet non certo tempore cadere, in plebiſque animo maximam de mira Apollonii virtute opinionem ruina ſua commovere. Eædem cauſsæ ſunt, quamobrem cum Abbate Huttevillio (*b*) plura de rebus ab Apollonio geſtis aut exaggerata omnino, aut etiam referta fabulis cenſeamus. Nam quis, amabo te, ſibi inducat in animum, Apollonium avium, mutorumque animantium linguas egregie calluisſe, cum his diutiſſime collocuutum eſſe, rerum omnium, & artium inſitam ſibi ſcientiam habuiſſe, ex Domitiani oculis repente ſubductum Puteolos convolaſſe, mortuos quoque, ſi Diis placeat, ejus opera revixiſſe? Oh præclare!

Spectatum admiſſi riſum teneatis, Amici (*c*).

Quid illud, quod Urbem Epheſum a peſtifera lue liberavit, ſtatim ac populus ejus juſſu prætereuntem mendicum, panniſque obſitum ſenem lapidibus obruit? Hunc enim excitaſse peſtem dicebat. Nec minus eſt lepidum alterum, quod Aſpendi in Pamphylia popularem ſeditionèm, ac motum ex timore famis exortum Apollonius ſola præſentia, ac majeſtate, ne pronuntiata quidem ſyllaba, refrænavit, atque compeſcuit. Vidiſtin ſilentium, cui plus nervorum, & eloquentiæ? Tam miro certe ſilentio ejus viri facundia concedat neceſſe eſt, de quo canebat Virgilius.

Tunc pietate gravem, ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant,

Ille

(*a*) Not. 18. in cap. 4. Syſt. Intell. (*b*) Tract. de Relig. &c. To. 3. cap. 18.
(*c*) Hor. Ar. Poet. v. 6.

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet (a).

Nam Apollonius verbis nullis eget, Pythagoræoque suo silentio id facile impetrat, quod homo disertissimus, omnibusque artis Rhetoricæ instrumentis ornatus vix, ac ne vix quidem propter summam rei difficultatem sperare potuisset. Unum addo, quo Philostrati levitas pateat, sæpe tam inficetum, insulsumque esse hominem, ut imprudens ea tollat, & destruat, quæ de suo lectores credere jusserat Apollonio. Sapientissimum virum, immo alterum quasi Deum fuisse Apollonium in exordio statim sui operis perhibet; hunc ipsum tamen deinceps ad Indos proficiscentem inducit, ut ab illius regionis sapientibus erudiretur. Quam belle, quæso, sibi hæc, & egregie respondent? Divinus homo, qui bestiarum linguas apprime callet, qui intimos animorum recessus, ac latebras pervidet, qui miraculis Deum æquat, doctrinæ caussa iter ad Brachmanes instituit, qui tam erudite cum eo colloquuntur, ut non sanos fuisse homines non sanus juret Orestes. Verum nihil est, cur hominis inconstantiam mireris. Ita enim comparata mendacia sunt. Eorum Architecti, quos omnium maxime esse memores expediret, ut fide, ita memoria parum valent, suæque ipsimet sæpenumero sunt & levitatis præcones, & buccinatores infamiæ.

31. Sed hactenus de miraculis universe. Nunc disjectis, opinor, Spinoziani systematis fundamentis, hic restat actus, ut partes sigillatim demoliamur, seu miraculorum, quæ sacræ commemorant litteræ, veritatem, ac vim collocemus in tuto, eademque a frigidis Spinozæ calumniis protegamus. A Noetico autem Diluvio capiemus initium, ubi prodigium, velis, nolis, varium, ac multiplex agnoscas, necesse est, cum imbres præsertim continuati tot dies defluxerunt in terram, cum aquæ ex abysso eruperunt, & rursus cum aquæ ipsæ abiere; ut interim omittam alia, in quorum caussis, ac rationibus investigandis inutiliter desudares. Sed rei magnitudo, ac gravitas postulant, ut in ejus interpretatione paullo longiorem, accuratioremque operam collocemus, quo melius deinde Spinozæ reprimatur temeritas, qui eventum illum unius vix facit assis, Mosisque de Diluvio testimonia non aliud significare contendit, nisi multum aquæ pluisse (b).

32. Pri-

(a) Virg. Æneid. lib. I. v. 155. (b) Ibidem pag. 80.

32. Primum igitur certum, ratumque est, aquas totum, qua patet latissime, terrarum orbem constravisse, quidquid temere vel Isaacus Vossius, vel Peyrerius, vel Eduardus Stillingfleetus, vel Auctor quidem Anonymus [8] contra summam Scripturæ, veterumque Patrum auctoritatem, atque consensum statuerint. Moses enim, nec uno in loco, dissertissime asserit, universam terram, editioresque montes ab aquis fuisse obrutos, & sepultos, periisse omnia, volucres, bestias, homines, & quidquid uspiam animatum est. Generalis profecto aquarum alluvio significantius explicari non potest. *Factumque est*, inquit, *diluvium quadraginta diebus super terram, & multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt Arcam in sublime a terra. Vehementer enim inundaverunt, & omnia repleverunt in superficie terræ..... opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. Consumptaque est omnis caro, quæ movebatur super terram: volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram: universi homines, & cuncta, in quibus*

8 Differtat. Prolusoriæ de Diluvii Universal. quæ Genevæ prodiit anno 1667., iterumque edita Hallæ est anno 1705. Quamvis autem Auctorem Anonymum dixerim, constat nihilominus esse Abrahamum Myle, virum heterodoxum, atque a Romana religione alienum. Ipse igitur omnium primus, si homini fides adhibenda est, in receptam de Diluvio sententiam cœpit inquirere, ab illaque tribus præsertim nominibus sibi abeundum putavit. I. Quod satis aquarum universæ terræ obducendæ, in natura non suppetat. II. Quod Noe ætate multitudo hominum non eo usque crevisset, ut totum possent terrarum orbem incolere. III. Ex quo fit, ut Mosaicis testimoniis alia ab ea, quam specie tenus præferunt, subjicienda sit vis, & sententia, ut pluribus etiam innotescit exemplis; ultrices vero aquæ extra Asiæ fines probabiliter grassatæ non sint. Multus est Auctor in his argumentis versandis, quæ tamen nos a proposito non deterrent. Cursim ad extremum monet, ea fixa, stabilitaque sententia, illorum scrupulos facile evulsum iri, *quibus ut Arca fuerit capax tot animalium ex universo orbe confluentium vereri subit.* Qua sane in parte totius Geometriæ imperitum se imprudens patefacit. Licet enim sumatur, Mosem de Arca loquentem non alios, nisi vulgares, usitatosque cubitos denotasse, probe tamen cum Buteone, Wilkinsio, ac Joanne Pelleterio ostendi potest, Noeticam navim tantæ magnitudinis, amplitudinisque fuisse, ut omnium animantium, rerumque genera, quæ introduci in illam oportuit, complexu suo aptissime contineret. Vide Differt. nostram de Græca sacrar. litter. editione a LXX. cognominata Interpretibus pag. 44.

quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt. Gen. cap. 7. v. 17. quorum ſunt ſimillima, quæ ſcripſerat Moſes ſuperiori capite v. item 17.

33. Quamvis autem totius, vel univerſæ terræ nomine &c. aliqua tantum regio &c. ſoleat interdum a ſacris Auctoribus deſignari, cur tamen Moſaicas illas loquendi formulas hic circumſcribas, cauſsam non video. Cum Abraham e. g. Geneſ. cap. 13. v. 9. Lothum alloquens tuendæ pacis ſtudio, ait, *ecce univerſa terra coram te eſt, recede a me obſecro*, ſtatim apparet, locutum fuiſse Abrahamum de terra Chananæa, quam erat ex divina ſententia poſseſsurus, vel certe de terra illa, quæ utrique ante oculos obverſabatur. Similiter ſi attente expendantur alia huic affinia ſacrorum librorum oracula *Joſue cap. 2. v. 3. lib. 1. Reg. cap. 13. v. 16. lib. 3. cap. 18. v. 10. Iſaiæ cap. 13. v. 9.* cæteraque id genus, ex ipſis locutionibus, orationis contextu, & ſerie, rebus geſtis, tempore, aliiſque circumſtantiis evidentiſſime innoteſcet, univerſæ terræ vocabula, quæ inibi occurrunt, ἐμφατικότερως ſcripta eſse, Judæamque tantum, vel eam terrarum Orbis partem ſignificare poſſe, in qua aliquid contigiſse narratur. Aliter tamen de his locutionibus ſtatuendum eſt, quibus Moſes generalem aquarum alluvionem expoſuit, cum præſertim altera confirmet alteram, atque corroboret, in Hebræiſque exemplaribus ubique vox *Cal* occurrat, qua rerum univerſitas indicatur, ac multæ tandem, graviſſimæque rationes nos moveant, ne a ſimplici, hiſtorico, planiſſimoque Moſis ſenſu liberius diſcedamus.

34. Quo enim conſilio juſſiſſet Deus, tanto uti apparatu Noë in exædificanda Arca 100 annos inſumeret, in quam omnia poſtea animantium genera cogeret, cum & Noë familia brevi itinere mortem evadere, & animalia poſt Diluvium aliunde advehi, vel ſuppetere potuiſſent? Certe cum Deus ſtatutum habuit ſupplicio ignis in Pentapolitas animadvertere, Lothum admonuit, ut ſuæ, ſuorumque vitæ, ac ſaluti matura profectione conſuleret. Saltem non aves omnes, & volucres occidiſſent, quippe quæ in regiones finitimas, & ab aquis nudas, & vacuas evolaſſent. Quod caput eſt, maximeque rem continet, quomodo aqua, quæ altiſſimos montes, ubi Arca conſedit, totos 15 cubitos dicitur obtexiſſe, vi gravitatis in ſubjecta loca non fluxit, nec Arca ſuo concita-

ta

ta pondere per devexum montem deorsum abrepta est? Aquas, inquies, Deus, ne dilaberentur, continuit. Sed primum displicebit id Vossio, qui tantopere in hac controversia ab inducendis miraculis abhorreat. Deinde Scriptura, quæ distincte tum maris Rubri, tum Jordanis aquas divisas, ac scissas commemorat, portentum ejusmodi admirabilitatis plenum non præteriret silentio, idque eo magis, quod omnes rei, de qua agitur, circumstantias minutatim exponat. Varia quoque concharum, testaceorum, piscium, aliorumque marinorum corporum genera, quæ in Italia, Gallia, Helvetia, Germania, Hispania, Belgio, Anglia &c. Woodvardo in primis, & Scheuchzero testibus, reperiuntur in montibus longo a mari intervallo dissitis, multo nobis probabile pro generali Diluvio argumentum suppeditant: ejusdemque universæ propemodum nationes conservarunt diligenter memoriam Ægyptii, Chaldæi, Assyrii, Græci, Romani, Arabes, Muhammedani, Sinenses, Americani, Huttentotti. Unde apposite post Varronem, & Censorinum Grotius (*a*) observavit, omnium ferme gentium historias in Diluvium desiisse. Veterum Scriptorum loco, nē brevitatis cancellos egrediar, unus loquetur Alexander Polyhisthor. Hic apud B. Cyrillum (*b*) clarissime affirmat, sub Sisithro, idest Noëmo magnum excitatum fuisse Diluvium, illum vero Saturni monitu navim, vel Arcam fabricatum esse, navigandoque periculum una cum jumentis, atque volucribus evasisse.

35. Bene habet, inquis. Sed unde tanta aquarum vis, quæ toti terræ obtegendæ sufficiat? Ad id enim, si Burneto (*c*) credimus, octo saltem Oceani requiruntur. Præterea Vossii calculos nemo ignorat. Si suspiceris cum Cornelio a Lapide, a Deo rarefactas fuisse aquas, providendum est, qua deinde ratione ipsæ aquæ immensum Arcæ pondus sustineant. Systema Burneti de diluvio opinantis, terram magno fragore disruptam subsedisse, erumpentesque ex cavernis ejus interioribus aquas totam late superficiem occupasse, eandem vero terram fuisse montibus ante diluvium destitutam &c. tum sacris litteris, tum Physicæ, tum Astronomiæ adversatur; nec minus incerta, ac falsitatis suspecta est Guillelmi Wisthoni

sen-

(*a*) Lib. 1. de Verit. Relig. Christ. §. 16. (*b*) Lib. 5. adv. Julian.
(*c*) Theor. Tel. sacra Londini edita an. 1681.

ſententia, quam auctor in libro de demonſtrata Diluvii cauſſa an. 1688 rurſus propoſuit, ubi Cometam, qui magnam aquæ ſuppeditaret copiam, invocavit. Utrumque ſane Scriptorem Leiddekkerus, Keillius, Chambres, alii uberrime confutarunt. Vide quoque, ſi placet, diſſertationem de Montium Origine, quæ Piſauri prodiit an. 1552. auctore Thoma Gabrinio. Reſtaret hoc igitur, ut ad Planetarum aquas, vel atmoſphæras confugeres. Sed multa te a propoſito deterrebunt, longum in primis temporis intervallum, quod aquis neceſſe eſt, ut a tam diſſitis regionibus ad terram uſque ſe conferant. Quæ cum ſint, unde, obſecro, aquas ad illam tam alte undequaque inundandam arceſſes?

36. Bona verba, quæſo. Flumine quaſi orationis me obruis, *immenſusque ruis profundo Pindarus ore* (*a*). Pacatiorem te velim. Nam in primis, unde aquæ prodierint in generali illa terræ alluvione noſtra ſcire non intereſt. *Multa ſunt*, accomodate reſponderet hic Seneca, *quæ eſſe concedimus*, *qualia ſint ignoramus* (*b*). *Numquid enim*, interrogat Auguſtinus, *negandum eſt*, *quod apertum eſt*, *quia comprehendi non poteſt*, *quod occultum eſt* (*c*). Lepidiſſima Capita! Abunde eſt, ut ſapientiſſimo, potentiſſimoque Deo infinitæ ſuppetant rationes, quibus incredibilem illam aquarum copiam invenire potuerit. Quis autem homuncionum ſtans pede in uno de conſiliis, ac potentia Dei definiat? Ago hic etiam cum Chriſtianis Theologis, qui illud Eccleſiaſt. cap. 3 meminiſſe probe debent: *in pluribus operibus ejus* (Dei ſcilicet) *ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. . . . Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.*

37. Verum neque eſt, cur tam facile animum in hac controverſia deſpondeamus, & quaſi ignorantiæ noſtræ convicti demittamus auriculas. Auguſtinus enim Calmetius (*d*), vir oppido in divinorum librorum intelligentia exercitatiſſimus, partim ex abyſſo, ſive ſubterraneis cavernis, ac ſpecubus, partim ex imbribus in terram effuſis aquas illas, quas quærimus, in magna ſane copia, multitudineque reperiet, neque id cer-

te

(*a*) Horat. lib. 4. Od. 2. (*b*) Lib. 7. quæſt. natur. cap. 24.
(*c*) Lib. 1. cont. Acad. cap. 7. (*d*) V. Ejus Comment. in cap. 7. Geneſ. & Pelletier differt. de Arca Noë.

te ſpernendis argumentis. Quibus ex fontibus aquæ emerſerint, Moſes Gen. cap. 7. v. 11. & 12. etſi non diſtincte, luculenter tamen expoſuit. *Rupti ſunt*, ait, *omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluvia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. Subtilius hic ego non diſputo, utrum abyſſi nomine marinæ, ac fluviatiles aquæ venire debeant, an vero aquæ in interioribus terræ receptaculis ab initio abditæ. Interpretes viderint. Nam utrum tandem intelligas, mihi perinde eſt. Sic enim rationes ſubduxerim. In ipſo rerum exordio aquæ, teſte locupletiſſimo Moſe, univerſum terræ globum circumdabant: *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* (*a*), quod etiam David omni aſſeveratione confirmat. *Fundaſti terram*, ait, *ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus, ſuper montes ſtabunt aquæ; ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis. Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque convertentur operire terram* (*b*). His Moſis, ac Davidis teſtimoniis generalis totius terræ circumluvio non obſcuris indiciis, ſive notis exprimitur. Enimvero aquæ illæ, quemcumque poſtea locum tenuerint, in nihilum non abiere; itaque ut olim in ipſis Mundi incunabulis univerſam terram circumfundebant, ſic Noë tempore e ſuis receptaculis, jubente Deo, erumpentes, eandem iterum inundare, & circumcirca obtegere potuerunt. Noëticum ergo generale diluvium partim ab aquis inferioribus, quæ ſe initio Mundi in abyſſos receperant, partim ab aquis ſuperioribus, ſive pluviis repetendum, quin neceſſe ſit, ut novas a Deo creatas fuiſſe aquas dicamus. Quærenti autem Voſſio, unde præciſe illa aquæ vis, multitudoque prodierit, audacter reſpondebo, inde omnino prodiiſſe, ubi eandem Deus in exordio Mundi conſtituit, poſtquam e terra reduxit, juſſitque aridam apparere. Ipſe vero, cujus intereſt, hunc nodum, ſi quidem poteſt, expediat.

38. Generali interim conſtituto Diluvio, ſponte propemodum ſua in medium procedunt miracula, quibus Spinozæ coerceatur audacia. Profecto tantum, ac tam mirum eventum ſine pluribus, eximiiſque prodigiis non contigiſſe, ex ipſa

(*a*) Geneſ. cap. 1. v. 2. (*b*) Pſal. 103.

ejus prædictione colligitur. Etenim cum Deus suam Noemo de humano perdendo genere aperuisset sententiam, *ecce ego*, inquit, *adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem* (*a*); quo fit, ut Philosophos illos mecum meritissimo rideam, qui caussas unice naturales, invito Mose, conquirunt, verenturque ad Deum confugere. Illustre igitur tribus præsertim nominibus miraculum in insolenti pluvia invenimus, quæ totos quadraginta dies in terram effusa est. I. Nubes uno, eodemque tempore plures regiones, tantum abest, ut universam terram, occupare non solent, quod venti ejusdem vis, qui in aliqua regione nubes cogit, & congregat, alio soleat serenitatem inducere. Boreas in regionibus nostris nubes disjungit, Constantinopoli, in locisque finitimis congregat. Easdem Eurus in Italia coagmentat, in Gallia, Anglia, Hollandia, alibi distrahit. Quare cum per idem tempus vapores ubique terrarum in nubes se induere nequeant, efficitur, nec ubique terrarum effundi in terram imbres naturaliter potuisse. II. Defuerunt præterea vapores, a quibus tanta illa, quæ decidit, aquæ vis gigneretur. Etenim imbres in Noetica Mundi alluvione maxima præter consuetudinem violentia, ac copia præcipitabant in terram, clarissime id Mose in hæc verba indicante, *& cataractæ cæli apertæ sunt*. Vox enim *cataracta* in sacris litteris ad exprimendos copiosissimos imbres, qui ex alto præcipites ruant, traducitur. Est siquidem καταῤῥάκτη Græca vox a verbo ῥάσσω, quod sonat, *vi*, & *impetu decido*, oriunda, morisque erat Græcorum, Latinorumque Scriptorum vocem ad ea Nili loca designanda usurpare, ubi præceps deorsum ferebatur e rupibus, quemadmodum locupletissimis Strabonis, ac Plinii testimoniis erudimur. Græci ergo Mosis interpretes Hebræam vocem *fenestras*, quæ hic tantumdem valet, *cataractas* reddidere, ut significarent, effusos fuisse in terram imbres qua ratione, & lege Nilus in subjectam planitiem ex editioribus locis effunditur. Quæ cum sint, absurde sane non faceret, qui in hac controversia sumeret, plures aquæ pollices singulis quibusque horis in Diluvio Noetico decidisse. Qui autem recogitet, quod Edmundus Halleius experiundo deprehendit, e vase amplo decem quadratos pollices tantum aquæ horarum duodecim

 spatio

(*a*) Gen. cap. 6. v. 17.

ſpatio abire in vapores, quantum digito cubico continetur, induſtria vero Sedilai conſtare, plus aquæ in vapores faceſſere, quam vaporum in pluvias, ſtatim is, etiam me tacente, perſpiciet, non poſſe a vaporibus tantam illam aquarum vim, ac multitudinem repeti. III. Naturalis denique pluvia cenſeri non poteſt, quæ diebus ſaltem quadraginta 9 nunquam curſum, eundemque violentum, atque percelerem intermiſit, cum ventorum impetus, & aliæ cauſſæ pluvias identidem remorentur. Imbres igitur, vides, divinæ potentiæ, atque prodigio adſcribi debent. Quid enim addubites? Quando vel Deus optimus tibi ea de re teſtis eſt, & interpres? *Adhuc enim*, inquit, *& poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram quadraginta diebus*, *& quadraginta noctibus* (a).

39. Divini quoque Numinis viribus, & miraculo tribuendum, quod aquæ ex abyſſo, convulſis quaſi repagulis, ad obruendam terram eruperint, eamque ad aliquot menſes undequaque tenuerint. Nam ſive abyſſi nomine marinas, ac fluviatiles aquas, ſive aquas accipias, quæ in interioribus terræ receptaculis lateant, in utroque eventu contra inſitæ gravitatis vim & ſurſum attolli, & diu eo in ſtatu conſiſtere debuerunt. Si quis enim ad argumenti auctoritatem extenuandam objecerit, mare eſſe terra ſublimius, hunc ne audiendum quidem putaverim contentus ad Carteſianos remittere, qui a mari dum fluminum deducunt originem tantopere in id incumbunt, ne Hydroſtaticæ leges violare ad libidinem videantur. Dicere autem, marinas aquas aut vento, aut alia occultiori cauſſa abreptas magno in terram impetu irruiſſe, hoc unum ad ſummam oſtenderet, Deum cauſſis naturalibus fuiſſe uſum, quod facile non negaverim, miraculi tamen vim neque frangeret, neque enervaret. Habenda eſt enim tum altitudinis ratio, ad quam mare evectum eſt, tum vero diuturni temporis, quo ſtatum illum conſtanter retinuit: quibus explicandis effectibus nullæ cauſſæ naturales ſuppetunt, nulla vis,

(a) Gen. cap. 17. v. 4.

9 Quid vero, ſi cum Oleaſtro, & aliis opineris, aquas non 40. ſed 150. continuos dies pluiſſe? Sane ubi dixerat Moſes Gen. cap. 7. v. 24. quod aquæ occupaverant *terram centum quinquaginta diebus*, paullo poſt e veſtigio addidit, *& clauſi ſunt fontes abyſſi*, *& cataractæ cœli*. Ibid. cap. 8. v. 2. Si imbres igitur effundi in terram cœpti ſunt, recluſis cataractis, tunc videntur deſinere debuiſſe, cum cataractæ ſunt occluſæ. Sed hæc ad Interpretes.

vis, nisi divinitus adjuvetur. Demus igitur, necesse est, potentissimum fuisse Deum, qui *aquas diluvii super terram adduxerit interfecturus omnem carnem*; alioquin inscite, mihi crede, nugabimur.

40. Sed nondum hic finis, neque modus miraculis constitutus. Etenim quemadmodum peculiari Dei jussu, ac prodigio aquæ ad inundandum terrarum orbem e suis sedibus, ac locis festinanter excesserant; ita, extraordinario flante vento ad illius nutum voluntatemque excitato, in pristina receperunt se loca partim in abyssos, partim in sublime, unde descenderant, abeuntes. Quæ sane res quoniam major erat, quam ut naturæ viribus præstaretur, idcirco assignata est Deo. *Recordatus autem Deus Noe .... adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ* (a). Par ergo utrobique prodigium. Ac potest quidem ventus efficere (nihil enim libenter dissimulo), ut aquæ in certam plagam celerius ferantur, bonamque partem abeant in vapores, Oceanum exhaurire non potest. Naturalem ventorum efficacitatem, ac vim descripsit his verbis lib. 6. Lucretius:

Tum porro venti magnam quoque tollere partem
Humoris possunt verrentes æquora ponti.

Plurimum tamen a vero distat, totum terrarum orbem aquis ad immanem altitudinem ita obductum, ut nihil Noemo ante oculos, præter cœlum, & aquas obversaretur, a vento potuisse exsiccari, nisi in eo major aliqua, ac divinior vis latuisset. Certe si memoria, quod supra posui (§. 38.) repetatur, singulis horis plures aquæ pollices de cœlo pluisse; deinde ad tempus, quo tellus exsiccata est, & ad Halleianum de vaporibus calculum (ibid.) cogitatio transferatur, concedendum hoc saltem erit, nullis naturalibus caussis tantum aquæ extenuari potuisse in vapores, quantum imbrium ex alto deciderat, etsi quis etiam ad Solis calorem, nedum ad naturalem ventum confugeret.

41. His igitur constitutis apparet, tot, ac tam illustribus in Diluvio fuisse opus miraculis, ut quem in portum se Spinoza recipiat, scire non possit. Accedit eodem, quod perpetuo Moses ubi de immittendis, removendisque a terra aquis commemorat, rem Deo tanquam caussæ effectrici, adeo-

(a) Genes. cap. 8. v. 1.

que miraculo adjudicat, quasi animo fore olim Philosophos provideret, qui omne ab alluvione Mundi Noetica prodigium abfuisse contenderent. *Ecce ego adducam aquas Diluvii super terram, ego pluam super terram, adduxit Deus spiritum super terram.* Audistin? Facessat hinc igitur Burnetus, facessat Wisthonus, facessant reliqui cum suis systematis, connitanturque, si possunt, eventi hujus rationes, & caussas, sublatis de medio prodigiis, in natura invenire. Commodum enim Persianum illud huc quadrat

O curas hominum! O quantum est in rebus inane!

Quid illud præterea, quod *miraculo factum*, ait opportune Bochartus (*a*), *ut Leones, Pantheræ, Tigrides, cæteraque animantia, feritate deposita, mansuescerent, atque homini se subjicerent?* Neque enim Noemus aucupio, & venatione, ut inepte opinatus est Philo, in Arcam bestias intromisit, neque illæ admonitu, vel incitamento naturæ, ut Calmetius, aut natando, dum aquæ ingravescerent, ut Hugo, aliique sentiunt, sed divino prorsus instinctu in navim tanquam in domum intrarunt. Verissime, & apposite Augustinus. *Non fuit ista cura illius hominis, vel illorum hominum, sed divina. Non enim ea Noe capta intromittebat, sed venientia, & intrantia permittebat. Ad hoc enim valet, quod dictum est: intrabunt ad te, non scilicet hominis actu, sed Dei nutu* (*b*); cum præsertim definitus, certusque foret animalium numerus, quæ se in Arcam inferre, aut introire debebant.

42. Sed de Diluvio etsi pro argumenti magnitudine fortasse parum, at certe pro hujus opusculi ratione plusquam satis. Nunc si veterum Patriarcharum, qui Noëmum inter, ac Mosem floruerunt, facta illustria, & gloriosa in memoriam redigamus, permulta se nobis contemplanda miracula objicient naturæ viribus non adscribenda. In his majores nostri Babelicam linguarum confusionem, urbium Sodomæ, & Gomorrhæ excidium, Saræ jam effætæ partum, ac plura alia numerarunt, quibus nos cum Cyrillo, Joanne Chrysostomo, Theodoreto, & Græcis plerisque Patribus celeberrimum Jacobi artificium addendum censemus, quo divinus vir, Superis bene faventibus, rebus, ac fortunis suis consuluit. Prodiit enim non ita pridem Jacobi Blondelli Medici scientissimi opu-

(*a*) Hierozoici lib. 1. cap. 2. (*b*) Lib. 15. De Civ. Dei cap. 27.

opusculum, in quo *la Force de l'Imagination des Femmes enciente sur le Fetus* accuratissime expenditur, & partim ratione, partim experientia, partim severioribus Anatomiæ legibus commonstratur, vestigia, maculas, vitia, quibus humani fœtus in lucem notati eduntur, a maternæ imaginationis vi non oriri [10]. Tot sane Auctor rationes attulit, & argumenta, ut velle cæteris, sibi certe persuasisse videatur. Hinc igitur, aliis etiam rationum momentis adhibitis, effici non difficulter posset, non ideo ex Labani capris, & ovibus maculosos fœtus extitisse, quod illæ dum coirent oculos in virgas variis coloribus distinctas intenderent, sed rei exitum, & eventum inter prodigia verisimillime collocandum. Sed nolo sciens, prudensque eo me demittere, ubi tanquam ratis in mari immenso nostra veheretur oratio. Quare ne præscriptos huic lucubrationi brevitatis cancellos egrediar, juverit ad Mosem potius orationis cursum convertere, & rem fere per summa capita explicare.

43. Hoc de Mose accepimus, non extitisse in posterum *Prophetam in Israel, sicut Moysem, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in Terra Ægypti Pharaoni, & omnibus servis ejus, universæque terræ illius, & coram universo Israel* (a). Fuere autem talia divini Numinis signa, quibus Moses legationis suæ fidem Judæis, & Ægyptiis fecit, eo sunt allata tempore, tanta animi confidentia, tam cito, tali legum naturalium commutatione, in tanto denique locorum intervallo, ut facile intelligamus, quidquid gestum est, Dei unice vi, potestatèque accidisse. Ad Mosis voluntatem, & nutum virga in serpentem, aquæ in sanguinem abeunt, mox vete-

rem

(a) Deuter. cap. 34. v. 10., & sequent.

10 Ex magna exemplorum copia, quæ eam in rem experientia prolixe nobis suppeditat, unum afferam, quo nihil testatius, nec illustrius. Londinensem summo loco natam Mulierem, cum jaceret in lecto, feles tanto repente impetu aggressa est, arcteque adeo comprehensam unguibus tenuit, vix uti ab illis infelix se mulier expedire potuerit. Sibi vero tantopere a periculo timuit, ut conciderit, ac defecerit. Tertio nihilominus mense post Filiam miræ cujusdam pulchritudinis edidit, in qua nihil feli simile, immo ne impressum quidem felis vestigium, nota, signum apparuit. Quodque mirabilius videri debet, puella grandior natu facta cum felibus se identidem delectabat, identidem etiam illas plectebat, quasi illatas Matri injurias injuriis ulcisci vellet. Blondellus ibid. pag. 18.

rem formam recuperant, ex pulvere sciniphes prodeunt, immensa propemodum vis ranarum e lacubus, muscæ concurrunt undique molestissimæ, passim fatalibus sauciata vulneribus moriuntur animantia, grando præcipitat, fulgurat, tonat, hinc locustæ sæviunt, herbas, agros diripiunt, lamentis interim omnia, gemitibusque circumsonant. Quid Moses? Tantum minatur, minas quo tempore id eventurum prænuntiat, poena consequitur, palam, clam nihil præparat, sed unam coelestem opem implorat.

44. Tot porro, ac tam miros eventus, quales acervatim descripsimus, humanis artibus, vel Ægyptiorum, qua plurimum valebat Moses, philosophiæ tribuere, sane perinde est, atque omnem humanitatis sensum, & rationem exuere. Nec quisquam, ut arbitror, immutatam a Mose vim hominum imaginatricem caussabitur. Nam propterquam quod cum sacra id pugnat historia, plura simul in unoquoque componerentur miracula, quod facit contra Spinozam. Præterea superiora prodigia dolis Magicis, atque Beelzebub adjudicari non possunt tum multis nominibus, tum quia si Satanas in seipsum dividitur, regnum ejus qui stabit (*a*)? In Deum igitur referri debent. Prodigia enim Magorum ex tota Mosis narratione innotescit, vel occultiori naturæ arte, vel quod plerique cum Augustino, & B. Thoma opinantur, ingenio, ac viribus Dæmonum contigisse: quapropter nequeunt miraculis, quæ proprie dicimus accenseri (§. 17. 18.). Nam quod Hebræi altero post exitum ab Ægypto mense impiissime a Deo desciverint, ac Vitulo divinos honores per summum nefas detulerint, hoc unum mirifice probat, fuisse illos stupidos, bardos, ingratissimos, duræ cervicis homines, ut sæpe veteres conqueruntur prophetæ; sed qui Mosis miracula, eorumque vim labefactare possit, equidem non intelligo.

45. Teneo tamen, quibus se armis, & opibus tueatur Spinoza. Etenim miracula, ait, plures semper circumstantiæ comitantur, quæ licet a Mose, cæterisque sacris auctoribus prætermittantur silentio, nihilominus clare ob oculos ponunt, eadem naturales caussas requirere. Ut Ægypti ulceribus vexarentur, oportuit, ut Moses favillam in aërem spargeret. Locustæ etiam ex jussu *Dei naturali, nempe ex vento orien-*

(*a*) Lucæ cap. 11. v. 16.

orientali integro die, & nocte flante Ægyptiorum regionem petierunt, & vento occidentali fortissimo eandem reliquerunt... Quare credendum, quamvis circumstantiæ miraculorum, eorumque naturales caussæ non semper, neque omnes enarrentur, miracula tamen non sine iisdem contigisse. Adde nunc stilum poëticum, quo res describuntur, statimque Mosis prodigia uno ictu in nihilum recident (a).

46. At at. His armis Spinoza neque ipse se tegit, nec nocet. Nam quas Ægypto calamitates, & plagas suis Moses portentis imposuit, divino quodam spiritu animatus prænunciabat, eædem ad illius nutum, punctumque temporis in contumacem populum sæviebant, similiterque cessabant, solis denique Ægyptiis, non Hebræis finitimis cladem, & perniciem afferebant. Quocirca puerilem prorsus in modum Spinoza miraculorum circumstantias fuisse a viro divino silentio prætermissas conqueritur. Quis manu, quæso, non tentet, cinerem, vel favillas a Mose sursum projectas divini potius furoris indicium, quam idoneum fuisse inferendæ cladis præsidium? Nulla hic enim effectum inter, & caussam, nempe inter ulcera, ac favillas, necessitudo, cognatio, affinitas. At Locustæ vento in Ægyptum delatæ, vento flante contrario, in mare absportatæ. Quis abnuat? Cum tamen ventus non naturaliter, sed jubente Deo, virgam vix Moses in sublime sustulit, flaverit, perspicuum, ac planum est, ab hac circumstantia Mosaici prodigii splendorem, & gloriam nullo modo obscurari. Præterea Moses ventum, qui Locustas in Ægyptum induceret, excitatum iri prædixerat, & stato quidem tempore; ex quo novum, planeque illustre habes nobilissimi prodigii argumentum. Sed agamus liberaliter, concedamusque profano Philosopho, quod res ipsa non patitur, ventum hunc secundum naturæ leges opportune flavisse. Mirum igitur esse debuit tum venti, tum Locustarum ingenium. Etsi enim Locustæ illius impetu violenter abreptæ Ægyptiorum agros vastaverint, Hebræorum tamen rebus, & prædiis inusitato quodam clementiæ genere pepercerunt. Ultra Ægyptum ne transversum quidem unguem ausæ sunt progredi. Numquid igitur aliud? Quod enim hic nebulo superius tacite sumpserat, esse ventum divinæ modum, seu partem substantiæ suis loco, & tem-

(a) Spin. cap. 6. pag. 76.

& tempore pro merito refutavimus (§. 12.). Miracula, inquit, Poëtarum ritu ſcribuntur. Mendacium convictum rebus, & teſtibus, ſi præſertim de decem plagis agatur, quas Ægyptus accepit. Hiſtorici enim, non Poëtæ perſonam, ut ex ſola ejus lectione innoteſcit, Moſes ſuſtinuit, & quæ narrat prodigia, in aliis divinis libris ſæpenumero, idque verbis graviſſimis, confirmantur. Grandinis verbi cauſſa procellam a Libri Sapientiæ Auctore ita deſcriptam accepimus. *Negantes te noſſe impii per fortitudinem brachii tui flagellati ſunt : novis aquis, & grandinibus, & pluviis perſecutionem paſſi, & per ignem conſumpti. Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat* (a). Quo teſtimonio vel ſolo intelligitur, impudentiſſime, ut docui, Spinozam mentiri, ejuſque mendacium habere firmamenti nihil, nec virium.

47. Age nunc expendamus particulatim horribiles tenebras, quæ univerſam Ægyptum trium dierum ſpatio ita occuparunt, ut nemo agnoverit alterum, nec pedem e loco moverit (b), interea dum terra Geſſen, ubi morabantur Hebræi, luce puriſſima colluſtrabatur. Ejuſmodi tenebræ vel a detentis radiis Solis, vel a quadam craſſiori nebula, vel a ſpiſſo, denſoque fumo duxerunt originem. Quæcumque fiat optio, in uno miraculo plura ſemper coiviſſe fatendum eſt. Si primum: ergo radii fuere cohibiti contra eorum naturam, ac vim, deinde cohibiti in ſola Ægypto, ac tertio illuſtrata interim terra Geſſen, quod unus Solis creator, atque opifex Deus præſtare poteſt. Nam & lumen a Sole continenter emanat, &, ut loqui amant Philoſophi, in ſphæram quaqua verſus diffunditur. Si ſecundum; multa rurſus ſe nobis miracula commodum offerunt. Nebulæ enim, ut Niewentitius, & Muſſchenbroekius docent, experientia vero ipſa patefacit (c), ab exhalationibus, vaporibuſque potiſſimum gigni ſolent, qui ex terra lente attolluntur, aut ex altiori aeris regione ſenſim relabuntur deorſum, adeo ut in eodem loco ſuſpendi, vix progredi videantur. Tenebræ autem, quæ inobſcurarunt Ægyptum, ad nutum Moſis una coaluerunt, temporiſque puncto ceſſarunt. *Extenditque Moyſes manum in cælum, & factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti.*

(a) Cap. 16. v. 16. 17. (b) Exod. cap. 10. v. 23.
(c) Nievvent. de Exiſt. Dei lib. 2. cap. 2.

pti tribus diebus (*a*). Nulla naturæ vi eo usque densari nebulæ poterant, ut manibus tangerentur, vetante id minori aeris gravitate specifica, in quo aere insident; multoque minus fieri naturæ legibus debuit, ut tanta undique crassitudine operirent Ægyptum, quin etiam regionem Gessen paullatim pervaderent. Tantam rursus, sibique semper constantem crassitudinem tres continuos dies tueri sine novo prodigio nequivissent, cum vel actione Solis, aut frequenti motu aeris, vel quod etiam quodam quasi æstu inter se effervescant, nunc rarefiant, nunc penitus dissipentur, nunc in terram corpusculorum Chymicorum instar præcipitent. Nec vero negaverim, tantam a nebulis interdum gigni, atque oriri caliginem, ut fere proximorum conspectum nobis eripiant. Id enim neminem prætererit. Verumtamen neque tanta est crassitudo, vel crebritas, ut nebulæ nihil lucis traiiciant, neque momento temporis coeunt, neque tandiu permanent, neque postremo tam certis finibus continentur, quin alio facillime excurrant. Itaque, cum hæc ita se habeant, horribilium tenebrarum, quæ toti offusæ Ægypto sunt, caussa, vel ratio a naturalibus nebulis duci nequit. Prætereo loci, temporis circumstantias, tum alia plura, quæ facile hic acutioribus Physicis venirent in mentem [11]. Ac similia quidem cogitabis de fumo. Nam si quem hæc suspicio incesseret, quod nubes crassissimæ genuerint tenebras, is graviores adhuc difficultates offenderet.

48. Non multo post Hebræa natio de Ægypto abiit, auspicatoque medium mare Rubrum siccis pedibus transiit. In hujus conspectu prodigii Livius sane, & Virgilius mirari lambentes ignes desinerent, neque hic tantopere jactaret illud notissimum:

(*a*) Exod. cap. 10. v. 22.

11 Caligo, verbi gratia, eo Ægyptiis tetrior, portentoque similior videri debuit, quo minus Ægypti regio (Vide Prosp. Alpinum Medic. Ægypt. lib. 1. cap. 7.) nebulis obnoxia est, & quo rarius vel cœlum nubibus illuc obducitur, vel terra pluviis, atque imbribus irrigatur. Caussa de multis illa una est, quod Ægyptus montibus careat, in quorum fastigiis vapores in sublime delati vel in nebulas, vel in nubes coguntur, ut norunt Philosophi. Cæterum cum tenebræ magna crassitudine, & crebritate, ut diximus, circum Ægypti regionem constiterint, *ubicumque vero habitarent filii Israel lux esset* (Ex. cap. 10. v. 23.), probe intelligis, præter alias, continuitatis etiam legem aperte hic violatam fuisse. Conf. Not. 3.

Ecce levis summo de vertice visus Juli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molles
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci (*a*).

Historiam ecce tibi brevissime. Cum Hebræi ex Ægypto profecti ad oram maris Rubri venissent, atque a tergo ab insequenti Pharaonis exercitu, a læva, & dextra a præruptis saxis, & montibus, e regione autem a maris aquis quemcumque sibi effugiendi aditum interclusum conspicerent, animis conciderunt, omnemque de salute spem cœperunt abiicere. In hoc summo vitæ discrimine Moses divinam opem enixe imploravit, cum ecce, *eleva virgam tuam*, respondit Deus, *& extende manum tuam super mare, & divide illud: ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum* (*b*). Paullo ergo post cum dicto audiens *extendisset Moyses manum super mare abstulit illud Dominus, flante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in siccum, divisaque est aqua. Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris. Erat enim aqua quasi murus a dextera eorum, & læva* (*c*). Hac ratione, & via populum Deus suum a formidinum terrore, certoque mortis periculo liberavit. Immobiles vero stetisse aquas, bipartitas fuisse, scissas, avulsas, ipsumque medium mare Hebræorum copias trajecisse, adduci in dubitationem non potest. Id enim & sæpe alias Moses disertissime tradidit (*d*), & cæteri sacri Scriptores David (*e*), Auctor Sapientiæ (*f*), Isaias (*g*), Judith (*h*), Habacuc (*i*) mirum in modum cum illo consentiunt, ut nihil idcirco necesse sit profanorum etiam Scriptorum, Diodori præsertim Siculi, & Artapani ad rem confirmandam recitare testimonia.

49. Complicata ergo habes miracula, quæ eludere Spinoza non possit. Nam eversis Hydrostaticæ legibus 1. divisæ, ac bipartitæ sunt aquæ, atque ita sane, ut via in medio mari Hebræis sterneretur amplissima. 2. muri instar utrinque constiterunt immobiles. 3. jubente Mose, in priorem receperunt se locum, ut exercitum Ægyptiorum opprimerent, quod rursus certissimæ motus legi adversatur. Negare enim Spinozæ discipuli, & eorum similes nequeunt, quod magno Philosophorum

rum

(*a*) Æneid. lib. 2. v. 682. (*b*) Exod. cap. 14. v. 16. (*c*) Ibid. v. 21.22. (*d*) V. cap. 15. Ex. (*e*) Psal. 77. & 113. (*f*) Cap. 10. v. 17. & 18. cap. 19. v. 7. (*g*) Cap. 63. v. 11. (*h*) Cap. 5. v. 12. (*i*) Cap. 3. v. 8. & 15.

rum consensu a Newtono (*a*) statutum est, nullum corpus suapte natura a quiete ad motum transire. Postremo sive cum Rabbino Samuele opineris, Hebræos substratum, solidumque mare ambulasse, seu verius cum plerisque Interpretibus dixeris, excitum a Deo ventum imum maris fundum momento temporis siccavisse, utrum tandem malis, quartum tibi occurrit utrobique miraculum.

50. Non est, quod Spinoza, præeunte Josepho (*b*), respondeat, rem totam ad reciprocum maris æstum, quem callide observaverit Moses, referri oportere. Etenim opinionis hujus commentum, quam ex parte complectitur Clericus (*c*), omnino sacræ litteræ delent, nullum uti tergiversandi locum relinquant. Nam ex pluribus, maximeque testatis illarum oraculis, Hebræum populum non per littora tunc temporis a mari deserta, sed per medias ejusdem aquas suscepisse iter didicimus (§. 48.). Quis autem nesciat, amabo te, maritimi æstus vi bis aquas quotidie ad littus accedere, bis ab illo sensim recedere, nunquam tamen medium maris alveum nudum ab aquis, & vacuum, sive siccum relinqui? Quod si Moses traducturus exercitum marini æstus occasionem captasset, rem profecto nec populus insuetati prodigii, vel potius monstri loco habuisset, nec pro portento divinus vir oculatis testibus venditasset. At enim Hebræi nihil de æstu maris audiverant. Primum neminem tibi illud facile assensurum putaverim. Deinde cum secundum littus incederent, nonne postea de naturali hoc eventu fieri poterant certiores, Ducemque, atque Imperatorem suum malæ fidei, ac fraudis arguere? Ad hæc nisi Hebraica natio, at certe Ægyptii Erythræi maris æstnm cognoverant. Quocirca nec ita inopes fuissent consilii, nec vitæ suæ adeo negligentes, ut redeuntibus ad littus aquis se se ultro enecandos objicerent. Poterant enim, cum primum aquas maritimas se ad littus recipere animadvertissent, ab imminenti periculo se statim subducere, ii saltem, qui propius abfuissent a littore.

51. Atque hæc impudentiæ hominum castigandæ sufficerent, qui a maris æstu erroris sui præsidium, patrociniumque conquirunt. Sed quo ejus opinionis levitas penitus con-

 fu-

(*a*) Princip. Leg. Motus (*b*) Antiq. lib. 2. cap. ult.
(*c*) Differt. de traject. mar. Idumæi.

futetur, juvabit paucis ob oculos ponere, quod si Hebræi iter prope littus fecissent, satis spatii non habuissent, nec temporis, ut incolumes Erythreum mare trajicerent. Nota enim in vulgus, & pervagata res est, inter adversum, aversumque maris æstum spatium horarum 6, & min. 12. interesse. Quibus autem in locis vehementiores æstus gignuntur, aqua ne 70 quidem pedes versus littora adducitur. Nam prope Bristoliam, ut Samuel Sturmius observavit, dum in Æquinoctiis Luna Soli conjungitur, mare ad pedes circiter 45, prope S. Maclovium in oppositis Galliæ, Angliæque littoribus ad pedes 60, paullo plus, intumescit (*a*). Statue, Erythræum mare in vehementissimis æstubus a littore 150 passus discedere, latitudinem vero freti, qua maxime alveus cogitur, in angustumque contrahitur, 300 dumtaxat passus patere. Majori sane erga adversarios æquitate uti non possumus. Numquid igitur horarum sex intervallo potuit universus Hebræorum exercitus id spatii, etsi brevissimum sit, peragrare? Non hercle sibi hoc inducent in animum, ut credant, qui quantum agri, vel loci paullo majores exercitus postulent, vel ipsi viderint, vel fando audiverint. Censebantur enim Hebræi ad bis decies centies hominum millia (*b*). Adde nunc supellectilem, carros, impedimenta exercitus, qui secum totius Ægypti opes abduceret, ac luce meridiana clarius constabit, fieri nunquam potuisse, ut immensa fere hominum multitudo cum magno rerum impedimento 300 passuum iter sex horarum spatio in madida præsertim arena conficeret. Frustra igitur a Spinozistis ad celeberrimi miraculi vim elevandam marinus æstus producitur [12].

52. Qui-

(*a*) V. Acta Acad. Paris. an. 1710. 1712. &c.
(*b*) V. Calmet. De Transfret. Eryt.

12 Quod attinet ad Joannem Clericum, is etsi prodigium in Erythræi maris trajectione factum agnoscat, me tamen judice, extenuat, hominisque sententia cum narratione Mosaica vix, ac ne vix quidem cohæret. Sic enim opinatur vir doctus, æstum in mari Erythræo per id temporis ferbuisse, Deum vero opportunum, insolitumque ventum excitasse, qui & æstum augeret, & majorem alvei partem recluderet, simulque aquas, ne ad littus diffluerent, diutius contineret. Quæ nisi cum Mosaica historia aperte pugnant, quid illi contrarium esse possit, plane non video. Vide §. 48. In hac enim sententia aquæ recessissent a littore, at divisæ, sectæ, utrinque instar muri stetisse, Hebræi vero per medium mare habuisse iter dici nullo pacto possent. Metapho-

52. Quibus autem divini Numinis signis Hebræi medium mare Rubrum lætitiis omnibus incedentes transmiserant, iisdem quoque, Duce postea Josue, Jordanem fluvium, aquis ex una parte instar parietis stantibus, exsiccatoque alveo, transierunt. Eadem hic igitur contra Spinozam argumenta recurrunt, quæ supra (§.49.) ex aquarum natura protulimus, ut supervacaneum ea de caussa arbitrer in re cognita, probeque explicata diutius immorari. Illud omnino non prætereundum silentio, consulto fuisse ab Auctore Libri Josue monitum, Jordanem per id temporis magna aquarum abundantia ripas prætervectum, *omnemque populum per arentem alveum transiisse* (*a*). Sic enim egregie cavit, ne quem fortasse de Spinozæ gregalibus deridicula illa Josephi Hebræi (*b*) suspicio commoveret tale, ac tantum deprimentis miraculum, quasi Israelitæ, imminutis aliquam partem aquis, amnem vado trajecerint.

53. Egressis e Jordane Hebræorum copiis, Josue divino fidens præsidio ad expugnandam urbem munitissimam Hierichuntem progreditur. Huic expugnationi Dei digitus, qui portas æreas conterit, & vectes confringit ferreos (*c*), intervenit. Septimo enim ab obsidione die, postquam milites septies urbem forinsecus circumissent, Sacerdotibus buccina clangentibus, totoque vociferante populo, repente mænia magno ubique impetu corruerunt. Naturalis, quæ hanc ruinam ederet, caussa nulla est; non terræ motus in primis, ut etiam indoctissimi intelligent, nec aer, cum aeris vires septem buccinarum sonitu in reciprocos tremores acti firmissimis disjiciendis mænibus prorsus impares videantur; id, quod, nisi abjecti temporis pœnitendum foret, vel unius possem Caroli Taglini doctrina (*d*) copiosissime persequi. Pulveris pyrii

phorice, inquit Clericus, dicuntur aquæ ab utroque Hebræorum latere instar parietis constitisse. Falso. Ea siquidem similitudo est, non metaphora, ut adjecta particula *quasi* declarat. Quamvis autem lateret in verbis metaphora, adhibetur tamen ad rem, quæ contigit, designandam, nempe ad significandum aquarum in duas contrarias partes discessum, tum vero stationem, & quietem. Erant, pergit ille, hinc lacunæ, inde autem aquæ a vento cohibitæ. Admittantur lacunæ; at ne sic quidem dici proprie possent aquæ bipartitæ, & divisæ, multoque minus utrinque instar muri consistere. Argumentum vero, quod Clericus ex quibusdam historiarum monumentis desumit, Petrus Bælius copiosissime confutavit. Nobis longiores esse non licet.

(*a*) Cap. 3. v. ult. (*b*) Lib. 5. Antiq. cap. 1. (*c*) Psal. 206.
(*d*) Lib. 2. de Aere cap. 2.

rii origo plane recentior eſt, quam ut ad illum Spinoza noſter confugiat. Caſu enim de hoc primum cogitavit anno circiter 1230. Rogerius Baco, natione Anglus, Sodalis Franciſcinus, in uſus vero publicos protulit anno circiter 1380. Bertholdus Schwartus in Dania, vel in Germania ex eadem S. Franciſci Familia (*a*). Reſtat, ut miraculum occultis cuniculis tribuatur. At neque Joſue fraudulentus habendus homo eſt, nec fraudis conſcia tanta militum multitudo ſimulatum prodigium occultaſſet. Quare cum Hierichuntinæ urbis ruinam nulla cauſſa naturalis ediderit, potuerit tamen naturæ viribus effici, ruina illa in tertia miraculorum claſſe, quæ miracula quoad modum vocavimus, certiſſime collocanda eſt (§. 8.). Nempe, ut divinitus Paulus ait, *fide muri Jericho corruerunt circuitu ſeptem dierum* (*b*).

54. Longe tamen illuſtrius admirabilis ſe divini Numinis vis patefecit, ac prodidit, cum Deum precante Joſue, protinus cœleſtia corpora a motu ad quietem redacta ſunt, *ſteteruntque Sol, & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis*. Et ſane, *nonne ſcriptum eſt hoc in Libro Juſtorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit antea, nec poſtea tam longa dies* (*c*). Idem aperte teſtatus eſt Habacuc; *Sol, & Luna*, ait, *ſteterunt in habitaculo ſuo* (*d*); tum Jeſus Sirach, qui Dei admiratus potentiam, *an non*, inquit, *in iracundia ejus impeditus eſt Sol, & una dies facta eſt quaſi duo* (*e*)? Hiſce autem, ac tam manifeſtis teſtimoniis omnes vel Maimonidis, vel Davidis Kimchi, vel Peyrerii, Spinozæ, Grotii, Clerici deliræ opiniones refelluntur. Vim enim ſingulæ ſacris litteris inferunt, quæ nec loquuntur poetice, nec novum corpus Solis vicarium divinitus creatum innuunt, nec lucis refractioni, Paraſelenis, Parheliis locum relinquunt, ſed Solem, ac Lunam reipſa conſtitiſſe ſignificant. Accedit, quod Parhelia, & Paraſelenas qui advocant, iidem oſtendunt, ſe parum in phyſicis profeciſſe. Parhelia enim tantum abeſt, ut ad diem continuum durare poſſint, quin diluantur, ut vix, & quidem interdiu, quemadmodum obſervavit Hugenius

(*a*) Vid. Nollet Lect. 14. poſt 17. Exper.
(*b*) Ad Hebr. cap. 11. v. 30. (*c*) Joſue cap. 10. v. 13. & 14.
(*d*) Cap. 3. v. 21. (*e*) Eccleſiaſt. cap. 46. v. 5.

nius (*a*), quatuor horarum intervallo colluceant. Gignuntur autem in nostri aeris regione non longe a Tellure, cujus rei illud est argumentum vel maximum, quod vix duobus in locis, brevi licet intervallo dissitis, videantur. Parhelia enim, ut scribit Musschenbroekius (*b*), anno 1734. die Februarii 22. Harlemii animadversa haud apparuere Ultrajecti, uti & duæ Paraselenæ eodem anno conspectæ Leydæ Ultrajectensium oculos effugerunt. Cum ergo Parhelia in Telluris vicinia generentur, ea post Solis occasum quamprimum diluantur, necesse est, quod rursus Grotii, Clerici, aliorumque opinionem a fundamentis labefacit. Jam cum naturæ ordine, ac legibus pugnat, ut Paraselenæ, & Parhelia eodem simul tempore, diurno potissimum, in cœlo compareant. Etenim Lunæ radii multo imbecilliores sunt, quam ut, illucescente die, ita ab oppositis Lunæ nubibus reflecti possint, ut Paraselenæ speciem nobis exhibeant. Nam in magna Solis altitudine ipsa vix Luna ab hominibus luce directa conspicitur. Enimvero testatur Josue, Solem non tantum, verum etiam Lunam constitisse; *steteruntque Sol, & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis*. Imprudenter igitur faciunt, qui eventi hujus caussam reddituri Parheliis, ac Paraselenis confidunt. Tandem in re, de qua agimus (reliquas enim rationes studio brevitatis omittimus), nec locus, qualis est Palæstina, nec tempus, quod de Rabbinorum sententia erat æstas, satis apte conveniunt. Novimus enim Paraselenas, atque Parhelia per hiemales plerumque dies, tum locis, atque temporibus frigidis apparere (*c*).

55. Nec objectet hic aliquis, stationi illi Solis, ac Lunæ grandinem præcurrisse Nam & grando, quæ de cœlo decidit, multis nominibus miraculo adscribenda. Etenim I. non usitatam pluisse grandinem, sed pluisse lapides putandum est, quemadmodum qua testimoniis, qua rationum momentis perspecte Calmetius explicavit (*d*). Et sane divinæ litteræ tradunt, quod dum Chananæi fugam arriperent, *Dominus misit super eos lapides magnos de cælo* (*e*). Si autem de sola grandinis pluvia ageretur, nunquam plane usurpatum fuisset vocabu-

(*a*) Differt. de Cor. & Parhel. (*b*) Elem. Phys. §. 1297.
(*c*) Musschenb. ibid. (*d*) Differt. de Pluvia Lap. in Chan.
(*e*) Josue cap. 10. v. 11.

bulum lapidum, & magnorum lapidum, neque auctor divinus tam diserte pluisse lapidibus scriberet. Ut enim egregie Augustinus *cum pluit terra*, inquit, *cum pluit creta*, *cum pluit lapidibus*, *non ut grando appellari solet hoc nomine*, *sed omnino lapidibus* (*a*). II. Sive lapidibus, sive sola grandine pluerit, grando illa tamen, quæ Amorrhæorum exercitus ad internecionem usque prostraverat, nulla in parte Hebræorum læsit copias extremum a tergo agmen hostium insequentes; eoque nomine in prodigiorum numerum sine dubio referri debet. III. Spinozistæ ea nobis opponunt, ut vix, ac ne vix quidem ipsorum cohærere videatur oratio. Nam cum Parhelia juxta receptam interpretationem Hugenii ex cylindris quibusdam in glaciem concretis interius coalescant, qui fieri potuit, ut, aere ob effusam grandinis pluviam conglaciantibus exhausto particulis, tam facile, ac cito Parhelium postea pingeretur? Quid quod si Parheliorum tempore ex alto aliquid decidit, id post Parheliorum occasum decidisse deprehensum est? Si enim vel imbribus, vel nive pluit, observarunt pluisse Philosophi, decoloratis jam, evanescentibusque Parheliis (*b*).

56. Pluvia igitur, in quam inquisivimus, nedum Solis, & Lunæ quies, citra varium, ac multiforme miraculum explicari non potest, quemadmodum nec sine divino, inusitatoque portento contigit Ezechiæ Regis ætate, ut Solis umbra in horologio Achaz decem retro lineas ad Isaiæ nutum rediret. Equidem non sum ignarus, quæ, & quot profani homines Dei æque, ac religionis osores commenti sint, ut hoc miraculum vel plane tollerent, vel enervarent; sed illorum ineptiæ, vel melius fabulæ tantum abest, ut nos commoveant, quin potius faciant in suscepta sententia firmiores. Age, rem penitius indagemus, & tribuamus in partes. De tribus unum in re, de qua agimus, accidit. Vel enim simul cum umbra Princeps siderum Sol, vel umbra tantum in horologio Achaz regressa est; si vero umbra tantum redivit, eventus hic inopinato cuidam Parhelio, vel cuicumque alteri refractioni luminis tribuendus. Si una cum umbra retro Sol motu contrario commeavit, prodigia percensere vix queo.

quo-

(*a*) Lib. 3. de Civ. Dei cap. 31.

(*b*) Jo. M. de Turre in Natur. Scientia Tom. 2. §. 889.

Planetarum motum de Newtoni ſententia, Leibnitianorum quoque firmata conſenſu, vires duæ gravitatis, & projectionis efficiunt, quibus ſimul ſapientiſſima lege temperatis, Ellipſes illi circum ſyſtematis centrum 13 deſcribunt. Vis ergo utraque præter naturam immutata. Enimvero Solis motus cum Planetarum motibus arctiſſime cohæret, cumque iis harmoniam facit; ne ergo incredibilis totius ſyſtematis confuſio, ac perturbatio, quæ divinam dedecet ſapientiam, oriretur, Planetæ etiam, adeoque & Planetarum comites redire viam debuere. Atque hæc quidem generatim ſolum attingo, non diſtinctius, & minutatim conſidero. Cæterum revera Solem curſum mutaſſe, multis conficio, tum quia id Iſaias, & Jeſus Sirach (*a*) divinis litteris prodiderunt, tum quia ſententiam hanc plerique Patres, ſacrique Interpretes ſuo calculo comprobarunt, poſtremo denique, quia Babyloniis etiam aſtronomiæ peritia perilluſtribus animadverſa res eſt. Quo certe fit, ut Spinozæ impudentiam mirari ſatis non poſſim, illos veluti ſimplices deridentis, qui hanc, ut vocat, de Sole retrogrado fabellam crediderint. O hominem ſpurciſſimum, tantumque in deſpiciendis viris optimis æque, ac doctiſſimis ineptiſſime eloquentem!

57. Sed agam liberaliter cum Spinoza. Eſto una Solis umbra in horologio Achaz iter retro converterit. Is nihil proficiet. Vel ille enim egregius fabularum Architectus Peyrerius nobiliſſimum hic agnovit prodigium (*b*). Parhelium, inquit Spinoza, ſeu nubes e Solis regione poſita ita exceptos luminis radios in ſtylum horologii detorquebat, ut umbra lineis decem de loco receſſerit; res pro miraculo habita, quod nemo fortaſſe, ne ſomniando quidem, de Parheliis cogitaſſet (*c*). Audiſti Prophetam Baal; paucis, ſi fieri poteſt, reſpondeamus. I. Umbræ reditus in ſignum contigit, quo certior

H Eze-

(*a*) Prior. cap. 38. alter. Eccleſ. cap. 48. v. 26.

(*b*) Syſt. Præadam. par. 1. cap. 4. (*c*) Loco cit. cap. 2.

13 Sol ne juxta Copernicum, an Tellus juxta Ptolomæum in medio Mundo conſiſtat, hic vero non diſputo. Etſi enim mihi, ut ingenue fatear, Copernicana probetur hypotheſis, ad rem tamen præſentem quod attinet, perinde eſt, ſive Solem, ſive Tellurem moveri intelligas. Eadem ſemper in utraque ſententia miracula quoad ſubſtantiam locum habent. Porro ſi quæ in toto Opuſculo fortaſſis occurrerint, quæ Copernicanam aliqua ex parte ſpirare ſententiam videantur, ut hypothetice accipias, etiam, atque etiam te monitum velim.

Ezechias fieret de recuperanda ſanitate, atque is ſignum popoſcit, ſeu potius portentum, quod præter naturæ leges, ordinem, conſuetudinem ederetur. II. Iſaias eventum illum prædixit, prædixit autem phænomeni rationem, modum, quantitatem. Quis autem ſolo naturæ lumine futuram aeris conſtitutionem divinet, nec divinet ſolum, ſed omnes etiam circumſtantias tam diſtincte, & enucleate prænunciet? At prophetæ, reponit Spinoza (*a*), phantaſiæ, vel atræ bilis vi prædicebant futura. O dictum petulantiſſime! Mirum nihilominus, ut mittam alia, id capitis, corporiſque intemperiem, aut morbum efficere, quod in ſano corpore ſaniſſimus animus præſtare non valeat. Sed pergamus porro. III. Unde enim Spinoza didicit, Iſaiæ tempore neminem adhuc de Parheliis cogitaſſe? Ariſtoteles certe ſua memoria de Parheliis, veluti de re cognita, mentionem injecit, adeoque poſſet aliquis inde uſque repetens Parheliorum cognitionem ad Iſajæ tempora continuare. IV. Quod rem penitus conficit, vir divinus ægrotanti Regi optionem dederat, progredi ne umbram mallet, an regredi. Juxta commentum vero hominis Parhelium, ſeu nubem ita comparatam eſſe oportebat, ut umbram poſſet in duas, contrariaſque partes protrudere, quo nihil ineptius, ab omnique ratione magis alienum. V. Nec minus illuſtre in ipſa temporis circumſtantia prodigium cum Auguſtino Calmetio deprehendo. Spinozianum enim Parhelium ad punctum temporis, quo Iſaias divino Numini ſupplicabat, adventum ſuum procraſtinavit. Quid vero ſi vir ſanctiſſimus aut antevertiſſet, aut preces ſuas in aliud tempus diſtuliſſet?

58. Reliquum eſt, ut Spinoziſtæ ad aliam refractionem, quam radii lucis propter aerem craſſiorem ſubiverint, tanquam ad aram, confugiant. Exemplum proferunt, & triumphant. Anno, ajunt, 1703. die Junii ſeptimo in Metenſi Cœleſtinorum Cœnobio, cui præerat Romualdus, in ipſo meridiei articulo umbram in Solari horologio verſus ortum deflectente a meridiana linea ad horam uſque 10. $\frac{1}{2}$ retro commeaſſe, ac rurſus deinde ad horam 12. ſenſim proceſſiſſe præter omnem opinionem, & ſpem tum Romualdus Præfectus, tum Alexius, & Lucianus ex eadem Familia non ſine admiratione obſervarunt. Rem publicis monumentis, & litteris con-

(*a*) Ibid. cap. 2.

consignavit Parentius Academiæ olim Paris. Sodalis in Disquisit. Mathem. & Physſ. quæ Lutetiæ Parisiorum an. 1705 in lucem prodiere, phænomenique præterea Acta quoque ejusdem Acad. an. si probe teneo, 1703. meminere. Ego vero non abnuo, neque id contigisse ullo modo diffiteor, etsi noverim, Carolum Taglinum (a) de hac historia plurimum dubitasse. Effectum tamen ejusmodi & ego alias, &, præter Taglinum, Ludovicus Philippus Thumiggius in Libro, quem *Meletemata* inscripsit, ex receptis Dioptricæ Legibus pulcherrime edisserit [14]. At ex argumentis, quæ superiori loco conclusimus, ac præsertim ex 1. 4. & 5. luculentissime apparet, Solis umbram in Achaziano horologio non nisi divinitus regressam esse. Hoc paucis addo, ex spatii quantitate, quod umbra confecit, aperte etiam a Physicis deduci posse, umbræ reditum egregio prorsus miraculo acceptum referri oportere.

59. Institutus rerum ordo requireret, ut hic loci edita a viris sanctissimis Elia, & Elisæo expenderemus prodigia, eademque in bono adversus Spinozam lumine collocaremus. Quia vero celerius mea festinare debet oratio, quam a principio cogitassem, venio ad Christi Servatoris nostri miracula, in tantaque argumenti amplitudine duo mihi, vel tria delibasse, & raptim quidem, sufficiet, ut fidem liberem, quam obligavi. Actutum interpretanda nobis occurrit repentina aquæ in vinum conversio, in vinum porro illud tum optimum, tum præstantissimum, quo nihil gratius, neque jucundius juxta Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium a Calmetio (b) lau-

(a) Lib. 1. de Aere cap. 8. (b) Comment. in cap. 2. Joan.

14 Res igitur tenuissimis vaporibus per altiora Atmosphæræ loca diffusis tribuenda est. Eo die ventus Australis flabat, qui magnam vaporum copiam sursum extulerat, atque coegerat, ut aer majorem solito densitatem acquireret. In hos ergo vapores cum Solis radii ad horologii stylum directi incidissent, refracti necessario sunt, refractionéque constanti, ac perpetua fieri debuit, ut sensim styli umbra regrederetur. Vapores autem genuinam fuisse regredientis umbræ caussam, egregio sunt argumento nubeculæ, quas & ventus advexit, & quarum deinde una Solis discum ad brevem horam inobscuravit. Animadvertit enim Præses Romualdus, nubeculas Solem prætervectas nullam styli umbræ mutationem attulisse. Ex quo relinquitur, insolentis caussam phænomeni disseminatis per Atmosphæram vaporibus esse adscribendam. Nam frigus phænomeni caussa censeri non potest, cum per id temporis ferveret æstus, & calidissimus a meridie ventus flaret. Effectum ergo qua ratione, & via docui, verisimillime explicandum putaverim.

laudatos, antea homines gustavissent. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus* (*a*). Exinde vero perspicue innotescit, quo tandem loco, vel pretio haberi debeat Liber de Salvatoris infantia, ubi traditur, Christum in puerili adhuc ætate publice miracula edidisse. Sed nolo a proposito digredi, cum præsertim rem BENEDICTUS XIV. in Libro, quem sæpe citavi, magna eruditionis copia persequatur. Ergo Dei Filio imperante, pueri hydrias aqua implevere, ne quis scilicet aut advectum aliunde vinum temere suspicetur, aut dolos nescio quos, fraudes, præstigias comminiscatur. Præclare id observatum Chrysostomo. Vix aqua in vasa iniecta est, cum ecce improviso, momentoque temporis in vinum abit. Mutationis probatissimos testes proferimus, Magistrum Triclinii, pueros, Christi discipulos, convivas omnes; sensus præterea, nempe odorationes, sapores, oculos, tactiones. Nihil testatius, nec vero illustrius relinqui potest. Sed nec quidquam a pueris aquæ permixtum est: nisi igitur in mixtionis doctrina plane cæcutias, vides, caussam fuisse nullam, quamobrem aqua in vinum & repente, & sola vi naturæ facesseret. Nec vero ex legibus motuum ullo mentis conatu intelligitur, aquam jussu alterius in vas iniectam vini naturam, & indolem induere repente posse. Id effundere, argumentum esset hominis non dicam in physicis imperiti, vel hospitis, sed hominis certe quidem, qui Medico potius, quam monitore indigeret. Suspicari ad extremum non potes, aquam saporem vini contraxisse ex superstitibus vini particulis antea in hydriis, seu vasis repositi. Vasa enim erant purissima, & soli capiendæ aquæ, qua sæpe Judæi lotionis caussa utebantur, destinata: quocirca a Græco vocabulo ὕδωρ, latine *aqua* hydriæ vocabantur. *Erant autem ibi*, inquit Joannes (*b*), *lapideæ hydriæ sex, positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ternas*. Eodem accedit, quod cum singulæ metretæ 80. saltem aquæ pondo continerent, particulæ vini vasorum lateribus adhærentes non potuissent tam magnæ aquæ copiæ vini in primis optimi, planeque suavissimi saporem ingignere. Aquæ igitur in vinum mutatio spectat ad miraculorum familiam, neque

id

(*a*) Joan. cap. 2. v. 11. (*b*) Ibid.

id juxta populi opinionem, vel captum, sed quo hercle sensu superius (§. 4.) miraculorum naturam accepimus.

60. Dicamus de Lazaro, quem præter cæteros, Christus O. M. quatriduo post a mortuis excitavit. Prodigia ejusmodi non posse a caussis naturalibus proficisci, Spinozam habeo confitentem. Tria ergo, oportet, conficiam, reapse Lazarum mortem obiisse, de ejus ad vitam reditu certo constare, postremo vere illum, non specie rediisse. Prius quam quod maxime ratum est, certum, perspicuum. Totius enim corporis frigus, pondus, color, pulsus in arteriis, respirationis, motusque omnis cessatio, atque in primis ipsa Christi testificatio (*a*) oppido locupletissima, tum fœtor teterrimus, quem Lazarus exhalabat, quatuor denique dierum intervallum, postquam exanimatus conciderat, nullum penitus de hominis obitu dubitandi locum relinquunt. Unde hic supervacaneum est ad argumenti vim enervandam eorum exempla producere, qui vel syncope, vel lipothymia, vel asphyxia, aut aliis id genus morbis quandoque etsi vivi, similes tamen mortuis concidisse leguntur, sepulturæ etiam ea de caussa nonnunquam mandati. Adeundus Cardinalis perdoctus Lambertinus citato loco par. 1. cap. 21. & Constantinus Grimaldus in opusculo de tribus Magiis nuperrime Neapoli edito. Porro tanti testes prodigii extitere tum plurimi, qui in Marthæ, Mariæque ædes convenerant, tum alii complures, *quorum multi*, ait Cyrillus Alexandrinus, *rei novitate, & miraculo victi crediderunt, alii vero livore impulsi occasionem inde sumpserunt patrandi ea, quæ invidis mos est, principibusque, quod factum erat, retulerunt* (*b*); ut proinde vix ullum divini Numinis signum illustriori testium auctoritate, ac pondere firmari posse videatur. Enimvero fingere Lazarum specie tenus, vel apparenter, ut ajunt, inter vivos rediisse, est hoc litem producere, non tenere victoriam. Nam non Christus ipse, sed ejus jussu Judæi lapidem e sepulchro sustulerunt, & Lazarum a vinculis, quibus adstrictus erat, jam redivivum laxarunt. Scite Joannes Chrysostomus. *Lazarum Christus jussit solvi, ut tangentes, & propius facti noscerent, vere resurrexisse* (*c*); ac rursus; *ne putarent homines, phantasma esse factum, quia mor-*

(*a*) Joan. cap. 11. v. 14. (*b*) Lib. 8. in Joan. pag. 691. tom. 4.
(*c*) Homil. 63. in Joann.

mortuus resurrexit (locus aureus est Augustini), *unus fuit ex recumbentibus, vivebat, loquebatur, epulabatur, veritas ostendebatur, infidelitas Judæorum confundebatur* (a). Quæ cum sint, & negare Spinoza nequit, reipsa Lazarum fuisse a Christo inaudito ante id temporis prodigio vitæ quatriduo post restitutum, & merito Patavii anno 1316. publica auctoritate igne cremati sunt Petri Aponii cineres, quod tanti miraculi imminuere, atque elevare vim studuisset.

61. Nescius, quo se vertat Spinoza, caput scalpit, & ungues rodit; mox audacissime, impossibile est, clamat intenta voce, defunctorum corpora ad vitam revocari. At id potuit Philosophus, qui acutus videri vult, cum animo suo cogitare? Fieri igitur nequit, ut mens, quæ semel a vinculis corporis soluta est, illi rursus adhæreat? Verum cum hoc non repugnet, ipso annuente Spinoza, humanos animos corpori uniri, neque illud repugnabit, eosdem infinities de suis corporibus egredi, & rursus cum his infinities copulari. Potest autem in actum Deus perducere, quidquid repugnantiæ interiori non subest; qui igitur repugnabit, homines, qui e vivis excesserint, a mortuis divina vi, atque imperio excitari? Sed hæc, pergit ille, percipi animo, & comprehendi non possunt. Papæ! Quasi scilicet bonus Philosophus probe animo comprehendat, & teneat, qui fiat, ut latus sit incommensurabile quadrati diametro, ut in Hyperbola, cæterisque lineis curvis Asymptoti propius semper, ac propius ad curvas quæque suas accedant, quin tamen illas contingant, ut denique æquilatera Hyperbola circum suam Asymptotum revoluta corpus solidum gignat longitudinis infinitæ, idemque tamen cylindro undequaque finito exæquetur. Nihilominus istiusmodi, atque alia id genus plura, quia firmo stant talo certa ab Euclide, Apollonio Pergæo, Torricellio argumentatione munita, etsi omnem imaginationis captum excedant, haud equidem Spinoza, nisi perridiculus esse velit, in quæstionem vocaverit. Quare etsi percipi, & comprehendi non posset, qua demum ratione, vel lege mortuorum corpora jussu alterius reviviscant, ac rursus pristina vitæ munia obeant, quin tamen id fieri queat, effrænis esset impudentiæ dubitare. *Quam bellum est*, peroraret hic apposite Cice-

(a) Tract. 1. in Joan. num. 5.

Cicero, *velle confiteri potius nescire quod nescias, quam ista effutientem nauseare, atque ipsum sibi displicere* (*a*)!

62. Positis his autem initiis, caussam non video, cur non & illud sibi facile Spinoza persuadeat, Christum triduo post, quam Cruci affixus obierat, revixisse. Ac miraculum id sane videri debet longe nobilissimum, Dei Filium sua seipsum vi a mortuis excitasse; sed tamen exploratissimum est, & firmissimo tum discipulorum, tum totius Christiani orbis consensu mirifice comprobatum. Præstabit ea super re divinum Augustini locum (*b*) perlegere. Qui vero religionis nostræ vim teneat, is manifestissime intelliget, Apostolos Christi discipulos mentiri in conscribenda historia nec voluisse, nec sane potuisse, qui præterea innumera edidere prodigia, ut ejus ad vitam reditum extra omnem dubitationis aleam collocarent. Sed egregie post veteres Patres versavere argumentum ejusmodi nuperrime Antonius Genuensis Metaph. par. 3. propos. 35. &, ex quo ille profecit, Humfredus Dicton, qui Christianæ religionis veritatem, ac vim ex Jesu Christi Resurrectione geometrica ratione, & via demonstravit. Itaque Spinozæ interrogatio Epist. 23. ad Henricum Holdenburgium sciscitantis, cur Christus Jerosolymitano Senatui, hostibusque se suis videndum redivivum non dederit, ineptias olet, antiquitatem, malitiam. Ineptias, quia dedecet homines in Dei consilia, quæ infinita, ac præstantissima esse possunt, arroganter inquirere: antiquitatem, quia crambe a Celso cocta recoquitur, de qua multo pridem Origenes (*c*); malitiam denique olet, quia Christus suis frequenter redivivus apparuit, seque eorum Præceptorem esse, ac Magistrum omni argumentorum genere confirmavit. Unum addam, quo plenius Spinoziana proculcetur superbia, præclarum scilicet Josephi Hebræi testimonium de Christo affirmantis, quod *apparuit discipulis tertio die vivens, juxta quod divini prophetæ hæc, atque alia mille admiratione digna de illo prædixerunt* (*d*).

63. Ad Christi Præceptoris exemplum, qui ad vitam refloruit immortalem, in Mundi dissolutione, & interitu omnes etiam homines iidem numero, in eodemque omnino corpore, quo olim induti fuerint, revocabuntur ad vitam, *& procedent*,

(*a*) De Nat. Deor. lib. 2. cap. 8. (*b*) Lib. 22. de Civit. Dei cap. 25.
(*c*) Lib. 2. cont. Celsum. (*d*) Antiq. lib. 18. cap. 4.

dent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala in resurrectionem judicii (*a*). Dogma hoc, cui, veluti fundamento, tota nixa est, atque inædificata religio, non defuere jam inde a vetustis temporibus male feriati homines, qui varia ratione, & via evertendum susceperint. Nam Sadducæi, Hymenæus postea, & Philetus, quos Paulus in altera ad Timotheum epistola commemorat, aliique plurimi apud Vossium (*b*) humana corpora penitus restitutum iri negarunt. Eutychiani vero, Bardesanistæ, & gregales Origenis etsi corporum resurrectionem non tollerent, non tamen carnem hanc, sed aereum, vel alterius naturæ corpus induendum esse ab hominibus affirmabant. Hujusmodi errores antiquorum Theologorum permulti, Tertullianus præsertim, & Augustinus prolixe refutaverant, cum ecce nostra fere memoria Thomas Burnetus, conscripto libro de Statu Mortuorum, & Resurg. obsoletam Origenistarum sententiam a cineribus exsuscitavit, nisi quod errores novis erroribus cumulans resurrectionem bipartiit. Hominem, qui audacissime sapientissimum de nostris virum Augustinum irrisit, ejusque super hoc argumento doctrinam superbius vellicavit, nobis aggredi est animus, suisque præsertim armis conficere, atque ita quidem, ut temeritatis illum suæ fortasse debeat pœnitere [15]. Quare ostendemus, futurum mortuorum omnium ad vitam reditum, qualem hoc loco descripsimus, firmissimis divinorum librorum oraculis corroborari; tum dogma id genus nec Philosophiæ, ut fingit Burnetus, nec vero rationis lumini opponi; postremo ipsam rationem, si rem penitius scrutari velimus, ei potius Catholico dogmati non infeliciter prælucere.

64. Sed

(*a*) Joan. cap. 5. v. 29. (*b*) Disput. 12. Th. 7. num. 3.

15 Præcipuum Burneti argumentum hinc ducitur, quod penitus *impossibile* videatur, ut iidem homines iisdem instructi corporibus reviviscant. Sed de ejus levitate, atque inconstantia dicere longum est. Ut radicitus concidat, sufficit, in quo hominis, ut ajunt, *identitas* posita sit, declarare. Sita est autem non in eodem partium corporis numero (compertum quippe est, corporis partes continenter mutari), sed in continuata ejusdem vitæ communicatione, a peculiari, & certa quadam textura corporis, conformationéque pendentis, de qua vita variæ, ac diversæ materiei particulæ successive participant. Si a nostris Burneti animus refugit, ea de re vel ipsum adire poterit Lockium (de Intel. Humano lib. 2. cap. 27.), Anglum illum, ejusdemque insuper factionis. Cum Regius Vates e. g. natu senior corpus suum

pœnis

64. Sed propius ad Spinozam, ne cui fortaſſe longius de curſu digredi videamur. Spinozæ ſyſtema tum ea, quæ hactenus perſecuti ſumus, tum plurima, quæ, moriente Chriſto Servatore noſtro, edita fuere miracula, radicitus labefactant. Sed hic, ne infiniti ſimus, breviter tantum inquiremus in tenebras, quæ terram per id temporis trium horarum ſpatio occuparunt. Qua quidem in re etſi olim Origenes tract. 35. in cap. 27. Matthæi Eclipſim illam, vel tenebras ad ſolam Judæam, vel Palæſtinam retulerit, in ejuſdemque ſententiam libenter deinde conceſſerint Eraſmus Roterodamus, Voſſius, Maldonatus, recentique memoria Hyacinthus Serry, eximius ex Dominicana Sodalitate Theologus, nos tamen graviſſimis argumentorum momentis impellimur, ut eas, de quibus agimus, tenebras toti huic terrarum Hemiſphærio communes fuiſſe exiſtimemus. Nam ſane mirificus trium Evangeliſtarum conſenſus univerſam terram diſerte, ac rotunde nominantium, communis propemodum veterum Eccleſiæ Patrum in doctrinam hanc conſpiratio, ipſa portenti excellentia, ac magnitudo, bonæ denique conjecturæ, Solis lumen ubique plane locorum defeciſſe commonſtrant. Accedit celebre Phlegontis Hadriani Imperatoris Liberti teſtimonium, ubi de hac una defectione Solis fieri mentionem, pluribus, firmiſſimiſſimiſque rationibus innoteſcit. Quid enim innumeros, erudiſſimoſque Theologos proferam, Melchiorem Canum, Danielem Huetium, Schelſtratium, Tillemontium, Natalem Alexandrum, Bertium, alioſque & multitudine plurimos, & doctrina, atque auctoritate graviſſimos, qui eandem nobiſcum complexi ſunt, tutatique ſententiam? Quæ ſi vera ſit, quemadmodum certe ſimillima vero eſt, defectioni illi Solis, quæ

I Chri-

pœnis piacularibus affligabat, erratorum a Deo ſuorum veniam impetraturus, non aliud, ac diverſum, ſed corpus plane illud, quod culpæ, ac ſceleris participes fuerat, puniebat; idque ea ſane de cauſſa, quod ſenex Rex eodem adhuc inſtrueretur corpore, quod in juvenili ætate geſſiſſet. Davidis tamen corpus plurimas, quoad partes materiæ, mutationes ſubierat. His curſim explicatis, ſuperior illa Burneti ratio facillime refutatur. Cætera vero hominis argumenta vix ipſis in Philoſophia, atque Theologia tironibus difficultatem injiciunt. Conſulendi de noſtris, præter veteres, Auguſtinus Calmetius, ac præſertim Joannes Lamius Diſſert. de Reſurrect. de Heterodoxis vero Blacmorius in Specimine de Provid. ac de poſſibil. phyſica Reſurrect. quod prodiit Hagæ Comitum an. 1719. & Bernardus Nievventitius de Exiſt. Dei lib. 3. cap. 5. aliique. Nos ad exitum properamus.

Christi prævertit obitum, facere nullo modo possumus, quin singularis prodigii gloriam concedamus, quamcumque demum Spinoza explicandæ rei rationem inverit.

65. Sed esto hæ tenebræ solam Judææ regionem obscuraverint; nulla tamen naturali caussa, vel vi citra multiplex, variumque prodigium effici potuere. Principio cum Luna, Dei Filio de Cruce pendente, in regione Soli opposita versaretur, tenebræ hercle ab usitata, naturalique Solis Eclipsi non duxerunt originem. Itaque D. Thomas, atque Ricciolus, qui tenebras in Christi morte exortas in portentosum Lunæ interpositum Solem inter, ac terram refundunt, plura in uno agnovere miracula; ille scilicet quinque (*a*), hic prodigia decem recensuit (*b*). Spinoza igitur obscurationem ejusmodi, ne caussa pueriliter excidat, Lunæ interpositu non explicabit. At neque interjectu Veneris defecisse Sol dici potest, quod umbræ conus projectus a Venere multo esse brevior ostendadatur, quam ut terram attingat, ac tenebris circumfundat. Etenim ex Euclidis doctrina axes conorum similium eandem inter se habent, quam diametri, rationem; ergo cum juxta Keillii (*c*) calculum diameter terræ sit ad diametrum Veneris in ratione 9: 12. umbrosus autem terræ conus longissime a Sole distantis, eodem docente Keillio (*d*), 217. semidiametros terrestres contineat, si regula aurea ineatur, ac fiat 9: 12: :: 217: x, deprehendetur x, hoc est umbrosum Veneris conum definiri semidiametris 280. propemodum. Enimvero Veneris a Tellure distantia, atque illa quidem brevissima, 6000. circiter, uti ex Cassino norunt Astronomi, semidiametros terrestres complectitur; in umbram igitur Veneris terra nequit incurrere. Q. E. D. At neque erat, cur calculo uteremur. Nam ut prætercam, Eclipsim illam & totalem, quam vocant, & cum mora trium horarum fuisse, dum Venus in nodis habitat, nulla accidit in Sole defectio, sed tantum veluti quædam nigra macula Solis disco insidere conspicitur, ut certe anno 1761. eventurum esse intelligimus.

66. Multo minus a Mercurio Solem inter, Lunamque versante crassissimæ eædem tenebræ repetendæ. Etsi enim reliqua taceam, tamen longiori adhuc, quam Venus, abest a nobis Mer-

(*a*) Par. 3. quæst. 44. art. 2. (*b*) Almag. Vet. & Nov. lib. 5. cap. 18. §. 59.
(*c*) Lect. 26. in ver. Astron. (*d*) Ibid. Lect. 12.

Mercurius intervallo, ejusque diameter longitudine tum a Veneris, tum a terræ diametro multum superatur. Quia vero a Cometis quærere sibi præsidium Spinoza non potest, unum superest, ut rem vel densioribus maculis, quæ faciem Solis obduxerint, vel coagmentatis in aere nubibus adscribendam existimet. At in primis si macularum opem implorat, is fateri cogitur, earum magnitudinem Solis fere magnitudinem exæquasse, magnamque idcirco hujus sideris portionem in fumos, atque caliginem abiisse; quod sane ab omni prorsus verisimilitudine abhorret. Deinde cum maculæ, Galilæo præsertim, & Wolfio testificantibus, paullatim coeant, atque evanescant, tenebræ autem longe, lateque, morituro Christo, diffusæ ad tres tantum horas duraverint, momentoque idcirco temporis, aut saltem quam celerrime & concreverint, & evanuerint, profecto in Solis maculas referri non possunt. Quod si nihilominus easdem maculas caussari velis, diu non repugnabo; illustre tamen quoad rationem, & modum contigisse miraculum (§. 8.) tute ipse nobiscum convenias necesse est. In eandem fere sententiam de nubibus philosophandum.

67. Interim veterum Theologorum permulti adspectum Solis subductum hominibus censuere, quod is radios suos, ac lucem quasi indignabundus retinuit. *Sol conditorem suum in corpore injuria, atque contumelia affecto sustinentem cernens radios suos contraxit, & terram tenebris obscuravit*, locus est B. Athanasii in epist. ad Epictetum. Quam interpretationem suo deinde confirmavere suffragio viri sanctissimi Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus, Hilarius, Hieronymus, cæteri, celeberrimo, opinor, adducti Joëlis oraculo: *Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum* (a). In ea vero sententia præclarissimum debuisse edi miraculum, non est quod pluribus demonstremus.

68. Atque hæc summatim adversus Benedictum Spinozam, quantum libelli commiserunt angustiæ, de miraculis dicta sunto [16]. Anno 1727. Thomas Woolstonus, natione Anglus,

(a) Cap. 2. v. 10.

16 *Operæ pretium faceret qui . . . . ex solidis Physices principiis demonstraret, miraculorum in Scriptura Sacra relatorum caussas naturales sufficientes defecisse*, ut scilicet divinorum Librorum auctoritatem, ac vim contra impios, nefariosque homines tueatur. Wolfius Cosmol. Not. ad §. 520.

Quor-

glus, Sodalis olim in Sidnæo Cantabrigienſis Academiæ Collegio nova ratione, & via effecta a Chriſto, legatiſque ejus prodigia conatus eſt elevare. Vulgato enim Londini opuſculo, impiiſſime æque, ac inſcitiſſime docuit, nulla neque Chriſtum, neque diſcipulos miracula edidiſſe, morbos tantum, ægritudineſque animi curaviſſe; id autem ſacros Scriptores vocabulis petitis a corpore allegorice narraviſſe. Vera, pergit, miracula ad corpus ſpectantia in alterum Chriſti adventum opportunius reſervantur. Propoſitum nobis non eſt haſce putidas pellere Theologi delirantis ineptias, quem de Anglis hominibus tum Stackouſe in Opere *Le ſens Litteral de l'Ecriture S.* tum Pearcius Londinenſis in S. Martini de Campis Miniſter, & Curio viriliter confutarunt, & cujus præterea doctrina ex ipſis, quibus mirifice abutitur, Patrum locis, ac teſtimoniis, tota ſtatim a fundamentis evertitur. Id unum diſſimulare non poſſum, turpiter ſecum ipſum pugnare plenis voluminibus Wool-

Quorſum hæc? Ne quis ſcilicet, quod ab initio attigi, præpropere fortaſſe exiſtimet, me crambem coctam recoquendam proponere. Dixi autem *proponere*, ut alteram illam in Poetica Horatii Arte nonnullorum reprehenſionem effugiam:

Quid tanto tulit hic dignum promiſſor hiatu?

Ego enim etſi Spinozæ ſyſtema confutandum ſuſceperim, & in ſingulas ejus partes, quoad inſtituti brevitas paſſa eſt, univerſe ſaltem nihil videar inquiſiviſſe; nihilominus non ſolum plurima, ut tute ſenties, prætermiſi ſilentio, ſed ſæpe etiam ad fontem potius intendi digitum, quam rem perfeci; opus vero abſolvi nullum, operis tantum, cujus ſpeciem in animo gerimus, veluti lineamenta paullo diſtinctius, atque abundantius adumbravi. In hoc igitur ſtudiorum noſtrorum ſpecimine, quod, litterario exeunte anno, de more edidimus, vides aliquam quaſi formam, unde quale futurum ſit opus perſpicias, quod poſſe confici haud prorſus diffiderem, ſi id demum conſilium meum viris bonis, & doctis non omnino improbari intellexero. Cæterum ſalſo illo Horatii monito (Epiſt. Lib. 1. epiſt. 1.) me conſolabor.

Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus:
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:
Nec quia deſperes invicti membra Glyconis,
Nodoſa corpus nolis prohibere chiragra;
Eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur ultra.

Hæc ſcribebam anno 1752. Nunc Diſſertationem cum viderim aliquo favore hominum exceptam, & amatores frequentes mei, exemplaribus jam diſtractis, ſtudioſe a me expetiverint, conſtitutum habeo fidem præſtitam liberare. Eandem igitur in præſentia auctiorem in vulgus manare ſino; proximo autem anno primum de miraculis adverſus Spinozam volumen, ſi quidem abs rebus meis tantum mihi vacaverit, in lucem emittam.

Woolftonum, qui cum in divinis Evangeliis, & Lucæ Actis veram de Chrifto, ejufque difcipulis contineri hiftoriam fateatur, aperta deinde vi totius hiftoriæ feriem ad perpetuis, atque continuatas allegorias detorqueat. Sed bene habet. Edmundus Londinenfis Antiftes tam monftrofa doctrina permotus hominem e Collegio expulit, Senatus ad ignem damnavit; is vero uti mortem, ac pœnam effugeret, minis, fupplicioque perterritus, profectus ad Batavos a Chriftianifmo defecit, fcelufque novo fcelere cumulans ad Judæorum partes, atque impiam factionem defperanter tranfivit (*a*).

(*a*) Tom. 9. Act. Erud. Lipf. in fuppl. an. 1729.

F I N I S.

MEN-

MENDORUM.		CORRECTIO.
Pag. 6. lin. 19.	Hac autem	Hæc autem
11. in Not. lin. 1.	Lebnitium	Leibnitium
18. in Not. lin. 18.	sanctissimis	doctissimis
37. ῥάσσω lin. 25.		ῥάπτω
42. lin. 23. *post verba* B. Thomam		*adde*, verosimilius
63. lin. 11. *post vocem* præsertim		*adde*, Scheinero
64. in Not. lin. 7. nihil		mihi

Leviora errata facile Lector benevolus emendabit.